

III. *Quid agit lex.*

Lex † agit omnem ciuitatis ordinem, omnemque hominis ætatem: quæ sic fœminis † regn. in doctis, tam vrbani quam rusticis fertur. Quæ summum salutis principum ac populorum culmen optinet, & cum manifesto præclaroque præconio in modum lucidissimi Solis effulget.

III. *Qualis erit lex.*

Lex erit manifesta, nec quemquam in captionem ciuium deuocabit. Erit etiam secundum naturam, secundum consuetudinem ciuitatis, loco temporique conueniens, iusta & æquabilia præscribens, congruens, honesta & digna, utilis, necessaria. In qua prouidendum est ex utilitate quæ prætenditur, an plus commodi, an plus iniquitatis offeratur: ut dinosci possit, si plus veritati prospiciat publicæ, quam religioni videatur obesse: fac sic honestatem tueatur, ut non cum salutis periculo arguat.

V. *Quare fit lex.*

Fieri autem leges hæc ratio cogit, ut earum metu, humana coerceatur improbitas, sitque tuta inter noxios innocentium vita, atque in ipsis improbis formidato supplicio frenetur nocendi præsumptio.

VI. *Quid triumphet de hostibus lex.*

His in domestica pace ita perfectis, totaque primo à principibus, secundo à ciuibus, ex hinc à populis & à domo iurgiorum peste seclusa, eundem est in aduersis, & obuiandum hostibus potentialiter & fidenter, tanto in externis spe fida victoriæ, quâto nihil erit quod in externis formidari valeat aut timeri. Pacis enim oleo, & legum vino, tota plebiû massa in statu salutari concreta exeret hostibus. inde inuictos vnde illæfos artus producere videntur iustis adiuta legibus tela. Eruntque viri melius æquitate quâ telo muniti, ut contra hostem ante iusticiam dirigat princeps, quàm vibret spicula miles. Fœlicior iam domestica æquitas anteibit: quia & sæuiores erunt in hostium populatione mucrones, quos de domibus modestè produxerint leges. Experimentum enim naturalis est rei, ut iusticia illa confodiat hostem, quæ tutauerit ciuem, & externam inde perimat litem, vnde suorum internam possederit pacem. Sicut ergo modestia principum temperantia est legum, ita concordia ciuium victoria est hostium. Ex mansuetudine enim principum, oboritur dispositio legum. Ex dispositione legum, institutio morum. Ex institutione morum, concordia ciuium. Ex concordia ciuium, triumphus hostium. Sicq; bonus princeps interna regens & externa cõquirens, dum suam pacem possidet & alienam litem obrum-pit, celebratur & in ciuibus rector, & in hostibus victor: habiturus post labentia tempora requiem sempiternam: post luteum aurum, cœleste regnum: post diadema & purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiet esse rex. quoniam dum regnum terrenum relinquit, & cœleste conquirat, non erit amisisse regni gloriam, sed au-xisse.

DE NEGOTIIS CAUSA-  
RVM LIBER SECVNDVS.

## TIT. I. DE † IVDICIIS ET IVDICATIS.

- |       |   |        |   |
|-------|---|--------|---|
| I.    | De tempore quo debeant leges emendatæ valere.                                     |        | qualiter conficiendæ sunt scriptura in nomine principum facta. † iudicib.                               |
| II.   | Quod tam regia potestas quàm populorum vniuersitas legum reuerentiæ sit subiecta. | VII.   | De his qui contra principem, aut gentem, aut patriam † refugiunt, & † refugi. sine insolentes existunt. |
| III.  | Quod nulli leges nescire liceat.  | VIII.  | De non criminando principe, nec maledicendo illi.   |
| IIII. | Quod antea ordinari oportuit negotia principum & postea populorum.                | VIIII. | De remotis † aliarum gentium legibus. * alienar.  |
| V.    | Item de tempore quo debeant leges emendatæ valere.                                | X.     | Ne excepto ralem librum qualis hic qui nuper est editus, alterum quisquam præsumat habere.              |
| VI.   | De principum cupiditate damnata, eorumque vitiis ordinandis, &                    |        |   |



- XI. De diebus festis & feriatis, in quibus non sunt negotia exsequenda.
- XII. Vt nulla causa à iudicib. audiatur, quæ legibus non tenetur.
- XIII. Vt terminatæ causa nullatenus reuoluat: reliquæ verò ad libri huius seriè terminentur, adiciendi leges principibus libertate manente.
- XIV. Quod nulli liceat dirimere causas, nisi quibus aut princeps, aut consensio voluntatis potestatem dederit iudicandi.
- XV. Quales causas debeant audire iudici, & qualibus personis causas audiendas iniungant.
- XVI. Vt iudices tam criminales quam communes terminent causas: pacis autem adsertores & sola regia potestas ordinet, & tantumdem à rege commissæ negotia iudicent.
- XVII. De dampnis eorū, qui non accepta potestate præsumserint iudicare.
- XVIII. De his qui ammoniti iudicis epistola vel sigillo ad iudiciū venire cōtēpserint.
- XVIII. Si iudex interpellantē audire contēnat, & utrū fraudulenter an ignoranter iudiciū promat.
- XX. Si iudex aut per cōmodum aut per ignorantiam iudicet causam.
- XXI. Si iudex dolo vel calliditate aut vnā aut ambas causantium partes dispendia faciat sustinere.
- XXII. Quòd primò iudex seruare debet, vt causam bene cognoscat.
- XXIII. Si cuiuscunq; honoris aut ordinis iudex dicatur haberi suspectus, vel si iudex contra legem præsumat iudiciū dare.
- XXIV. Iudex qualiter faciat iudicatum.
- XXV. De commodis atq; dampnis iudicis vel factionis.
- XXVI. Quòd omnis potestatem accipit iudicari, iudicis nomine censeatur ex lege.
- XXVII. Vt omne vinculū, quod post datū iniustum iudiciū à causidicis fuerit exactum, habeatur inualidum.
- XXVIII. Vt iniustum iudiciū & definitio iniusta, regio metu vel iussu à iudicibus ordinata non valeat.
- XXVIII. De data episcopis potestate distringēdi iudices nequiter iudicantes.
- XXX. Item de data episcopis potestate ammonendi iudices nequiter iudicantes.
- XXXI. Vt iudex si à quocunq; fuerit pulsatus nouerit à se petenti reddere rationem.
- XXXII. De dampnis iudicum aliena contingentium.
- XXXIII. De his qui regiā contempserint iussionem.
- XXXIV. De his qui ob noui principis fidē seruandam iurare distulerint, vel de illis qui ex palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.

I. FLS. GLS. KCDS. REX.

De tempore quo debeant leges emendatæ valere.



† aduersitas.

PRAGMA suum emendatis legibus assignantes, illud primum in ordine præfationis & loco præmittimus, quia sicut legum euidētia populorum est excessibus utilis, ita sanctionum obscuritas turbat ordines æquitatis. Nam plerumque dum quædam bene ordinata nebuloso verborum tractu consistunt, ipsa sibi repugnantiam nutriunt, dum litigantium controuersias lucidè non excludunt. Sicque vbi debuerunt finem ferre calumniis, ibi nouos contra se pariunt laqueos captionis. Hinc ergo † diuersitas causarum exoritur, hinc cōtrouersia litigantium generantur. Hinc etiam hæsitatio iudicum nascitur, ita vt in finiendis vel compescendis calumniis habere terminum nesciant, quæ utique nutantia semper approbantur & dubia. Et ideo quia perstringi tota quæ in controuersiam veniunt breui complicatione non possunt: saltim vel quæ in contentione pertractanda sese gloriosis nostræ celsitudinis sensibus ingesserunt, ea in hoc libro specialiter corrigi & eliminata probitatis sententia decreuimus ordinati. Euidētia videlicet dubiis, præstantia noxiis, clementiora mortiferis, ad apertionem clausis, perfectionem ceptis imprimēs institutis, quo nostri regni populos, quos vna & euidens pax nostri regiminis continet, hæc deinceps institutio correctarum legum ordinandos astringat atq; retēret. Et ideo harum legum correctio, vel nouellarum nostrarum sanctionum ordinata constructio, sicuti in hoc libro & ordinatis titulis posita, & subsequenti est serie annotata; ita ab anno secundo regni nostri, à duodecimo Kalendarum Nouembrium, in cunctis personis ac gentibus nostræ amplitudinis imperio subiugatis innexum sibi à nostra gloria optineat valorem, & inconuulso celebritatis oraculo valitura consistat: vt sicut sublimē in throno serenitatis nostræ celsitudine residente videntibus cunctis sacerdotibus dei.



dei, Senioribusque palatii atque Gardingis, earum manifestatio claruit; ita earundem celebritas vel reuerentia in cunctis regni nostri prouinciis debeat obseruari. Leges sane quas in Iudæorum excessibus nostra gloria promulgauit, ab eo tempore valituras esse decernimus, ex quo his confirmationem gloriōsa serenitatis nostræ renouatione impressimus.

## II. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quòd tam regia potestas quàm populorum vniuersitas legum reuerentia sit subiecta.*

10 **O**Mnipotens rerum dominus & cōditor vnus, prouidens commoda humanę saluti, discere iustitiam habitatores terrę sacrę legis sacrę decenter imperauit oraculis. Sed quia solius tam immensę diuinitatis imperiis hæc cordibus imprimuntur humanis, conuenit omnium terrenorum quamuis excellentissimas potestates illi colla submittere mentis, cui etiam militiæ cęlestis famulatur dignitas seruitute. Quapropter si obediendum est deo, diligenda est iustitia: quæ si fuerit dilecta, erit instanter operandum in illa: quam quisque tunc verius & ardentius diligit, cum vnus æquitatis sententia cum proximo semetipsum astringit. Gratanter ergo iussa cęlestia amplectentes damus modestas simul nobis & subditis leges: quibus ita & nostri culminis clementia, & 20 succedentium regum nouitas ad futura vna cum regiminis nostri generali multitudine vniuersa obedire decernitur ac parere iubetur: vt nullis factionibus à custodia legum quæ iniicitur subditis, sese alienam reddat cuiuslibet persona vel potentia dignitatis, quatenus subiectos ad reuerentiam legis impellat necessitas principisque voluntas.

## III. NOVITR. EMDTA. FLS. RCDS. REX.

*Quòd nulli leges nescire liceat.*

30 **O**Mnis scientia sana ordinabiliter vitat ignorantiam execrandam. Nam cum scriptum sit, Noluit intelligere, vt bene ageret, certum est quod qui intelligere noluit, bene agere contempnit. Nullus ergo idcirco sibi existimet illicitum faciendi licere quodlibet, quia se nouit legum decreta sanctionesque nescire. Nam non infontem faciet ignorantia causa, quem noxiōrum dampnis implicauerit culpa.

## IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quòd antea ordinare oportuit negotia principum & postea populorum.*

40 **B**ene deus conditor rerum disponens humani corporis formam, in sublime caput erexit, atque ex illo cunctas membrorum fibras exoriri decreuit: vnde hoc etiam à capiendis initiis caput vocari percensuit, formans in illo & fulgorem luminum, ex quo perspici possent, quæcunque noxia concurrissent, constituens in eo & intelligendi vigorem, per quem connexa & subdita membra vel dispositio regeret, vel prouidentia ordinaret. Hinc est & peritorum medicorum præcipua cura, vt ante capiti quàm membris incipiant adhibere medelam. Quæ ideo non immerito ordinabiliter exerceri cæteris censetur, cum ab artificis peritia hæc dispensari patefcunt. Quia si salutare caput extiterit, rationem colligit, qualiter curare membra cætera possit. Nam si arcem molestia occupauerit capitis, non poterit in artus dare deriuationes salutis, quas in se consumpserit iugis causa langoris. Ordinando igitur sunt primò negotia principum, tutanda salus, 50 defendenda vita. Sicque in statu & negotiis plebium ordinatio dirigenda, vt dum salus competens prospicitur regum, fida valentibus teneatur saluatio populorum.

## V. FLS. RCDS. REX.

*Item de tempore quo debeant leges emendate valere.*

**Q**uoniam nouitatem legum, vetustas † malorum exigit, & innouare leges veterno- † citiorum.  
sas peccaminum antiquitas impetrauit, ideo leges in hoc libro conscriptas ab anno secundo † bonæ memoriæ domini & genitoris † mei Chindasuindi regis in cunctis † diua.  
† nostris.



personis ac gentibus nostræ amplitudinis imperio subiugatis omni robore decernimus ac iugi mansuras obseruantia consecramus : ita vt relictis illis, quas non æquitas iudicantis, sed libitus impresserat potestatis, euacuatique iudiciis & omnibus scripturis earum ordinatione confectis, hæ solæ valeant leges, quas aut ex antiquitate iustè nouimus, aut tenemus, aut idem genitor noster, vel pro æquitate iudiciorum vel pro austeritate culparum visus est non immeritò condidisse, prolatis seu connexis aliis legibus quas nostri culminis fastigium iudiciali præsidens throno coram vniuersis Dei sanctis sacerdotibus cunctisque officiis palatinis iubente domino atque fauente, audientium vniuersali consensu edidit & formauit, ac suæ gloriæ titulis annotauit: ita vt tam hæ quæ iam prolatae consistunt, quàm illæ, quas adhuc exoriri no-  
uorum negotiorum euentus impulerit, valido ac iustissimo vigore perdurent, & æternæ soliditatis iura retineant.

VI. FLS. RCDS. REX.

*De principum cupiditate dampnata, eorumque iniuriis ordinandis, & quo modo consicienda sunt scripturae in nomine principum factæ.*

**E**minentia celsitudo terrenæ tunc salubrius sublimia probatur appetere, cum salutis proximorum pia cernitur compassione prodesse. Vnde solet contingere, vt plus commodi de aliena salute conquirit, quam de propria vtilitate quisque percipiat. In multis enim quia multorum salus attenditur, maioris lucri summa percipitur: In se autem, quia priuati commodi fructus appetitur, non satis est si vnus beneficii præmia cõquirantur. Hinc & illa regendarum tantumdem salus est plebium, quæ non suos fines priuata voluntate concludit; sed quæ vniuersitatis limites communi prosperitatis lege defendit. Quapropter ne salutaris ordo imperialibus videatur verbis potius optineri quam factis, de sublimitatis optentu reclinamus ad vota supplicum tranquillæ visionis aspectû: vt inde salutaris compassio habeat commodum, vnde turmæ plebium adeptæ fuerint supplicationis effectum. Cum igitur præcedentium serie temporum, immoderatio auiditas principum sese prona diffunderet in spoliis populorum, vt augetet rei propriæ censum ærumna flebilis subiectorum, tandem supernæ respirationis afflatu nobis est diuinitus inspiratum: vt quia subiectis legis reuerentiam dederamus, principum quoque excessibus retinaculum temperantiæ poneremus. Proinde sincera mansuetudinis nostræ deliberatione, tam nobis quam cunctis gloriæ nostræ successoribus adfuturis deo mediante legem ponimus, decretumque diuinae obseruantia promulgamus: vt nullus regû impulsione suæ quibuscunq; motib. aut factionib. scripturas de quibuslibet reb. alteri debitis ita extorqueat, vel extorquendas instituat quatenus iniustè ac nolenter debitarum sibi quisque priuari possit dominio rerum. Quod si alicuius gratissima voluntate quippiam de rebus à quocunq; perceperit, vel pro euidenti præstatione lucratus aliquid fuerit, in eadem scriptura patens voluntatis ac præstiti conditio annotetur, per quam aut impressio principis aut conferentis fraus euidentissimè detegatur. Et si patuerit à nolente fuisse scripturam exactam, aut resipiscat improbitas principis & euacuet quod male contraxit, aut certe post eius mortem ad eum cui exacta est scriptura vel ad heredes eius res ipsæ sine cunctatione debeant reuocari. Illæ autem res, quæ seclusa omni compressionis argumentatione directo modo transferint in principis potestatem, in eius perenniter iure perdurent; & quicquid ex rebus ipsis idem princeps ordinare voluerit, suæ potestatis arbitrio subiacebit. Verum, vt omne huius negotium actionis roboraret sinceritas veritatis, cum quaruncunq; rerû scripturæ in principis nomine extiterint factæ, mox testes, qui in eadē scriptura subscriptores accesserint, ab his quos elegerit princeps diligentissime perquirantur, si non aliquod indicium aut de impressione principis, aut fraude scripturam facientis modo quocunq; cognouerint. Ac sic aut ritè facta series scripturæ permaneat, aut irritè confecta euanescat. Similis quoque ordo de terris, vineis atque familiis obseruetur: si sine scripturæ textu tantummodo coram testibus quælibet facta fuerit definitio. De rebus autem omnibus à tempore Chintilani regis hucusque à principibus acquisitis, aut deinceps si prouenerit acquirendis, quæcunq; forsitan princeps inordinata reliquit siue reliquerit, quoniam pro regni apice probantur acquisita fuisse, ad successorem tantumdem regni decernimus pertinere, ita habita potestate, vt quicquid ex his elegerit facere, liberum habeat velle. In illis autem rebus, quæ ipsi aut de bonis parentum aut de quorumcunq; prouenerint successionibus proximorum, ita eidem principi e-

iusque



iurque filiis, aut, si filii defuerint, heredibus quoque legitimis hereditatis iura patebunt; sicut etiam ceteris lege vel successione parere noscuntur. Quòd si aliquid ex rebus debet collatione, aut quolibet contractu ad ius ipsius peruenisse patuerit, si contingat hæc inordinata relinqui, non ad successorem regni, sed ad filios vel heredes eius qui conquisiuit, specialiter omnis eadem conquisitio pertinebit. Nam & de illis rebus, quas i-  
 10 buisse, irrevocabili ordine aut faciendi exinde quod voluerit potestatem habebit, aut quæ inordinata reliquerit, hereditatem adire licebit. Huius sanè legis sententia, in solis principum erit negotiis obseruanda, atque ita perpetim valitura: vt non antea quispiam solum regale conscendat quàm iuramenti fœdere hanc legem se in omnibus im-  
 20 plere promittat. Quemcunque verò aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa dignitati publicæ machinamenta adeptum esse constiterit regni fastigia; mox idem cum omnibus tam nefariè sibi consentientibus, & anathema fiat, & Christianorum communem amittat; tam diræ percussiois ultione collisus, vt omnis diuini ordinis cultor, qui illi communicare præsumpserit, simili cum ipso damnatione dispareat, & pœna tatebescat. Nam & si quis legis huius seriem ex officio Palatino maliuolè detrahendo lacerrare voluerit, aut euacuandam quandoque, vel silenter musitans, vel apertè resultans,  
 30 proloqui detectus extiterit, cunctis Palatinæ dignitatis, & consortiis & officiis mox nudatus, omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, & in deputato sibi loco redactus, à totius Palatii maneat societate seclusus. Religiosus etiam qui se in eadem culpa deuoluerit, simili rerum proprietatis suæ dispendio subiacebit.

VII. NOV. EMDAT. FLS. GLS. RCDs. REX

*De his qui contra principem vel gentem aut patriam † refugiunt  
 vel insolentes existunt.*

† refugit & c.

30 **Q**uantis hætenus Gothorum patria concussa sit cladibus, quantisque iugiter qua-  
 tiatur stimulis profugorum ac nefanda superbia deditorum, ex eo penè cunctis est  
 cognitum, quòd & patriæ diminutionem agnoscunt, & per hæc occasionem potius  
 quam expugnandorum hostium externorum arma sumere sæpe compellimur. Vt ergo  
 tam dira temeritas tandem victa depereat, & in huiusmodi transgressoribus manifesta  
 scelera non relinquuntur vltèrius impunita, hanc omne per æuum valituram legem  
 sancimus, vt quicumque ex tempore reuerendæ memoriæ Chintilani principis vsque  
 ad annum regni nostri Deo fauente secundum, vel amodo & vltra ad aduersam gen-  
 40 tem, vel ad extraneam partem perrexit siue perrexerit, aut etiam ire voluit vel quando-  
 que voluerit, vt sceleratissimo ausu contra gentem Gothorum vel patriam ageret, aut  
 fortasse conetur aliquatenus agere, & captus siue detectus extiterit vel extiterit, seu ab  
 anno regni nostri primo vel deinceps quispiam intra fines patriæ Gothorum quancum-  
 que conturbationem aut scandalum in contrarietatem regni nostri vel gentis facere  
 voluerit, siue ex tempore nostri regiminis tale aliquid agere vel disponere conatus  
 est aut fuerit, atque quod indignum dictu videtur, in necem vel abiectionem nostram  
 siue subsequentiū regum intendere vel intendisse proditus videtur esse vel fuerit: ho-  
 rum omnium scelerum vel vnus ex his quisque reus inuentus, irtractabili sententia  
 mortem excipiat, nec vlla ei de cætero sit viuendi indulta libertas. Et si nulla mortis vl-  
 tione plectatur, & pietatis intuitu à principe illi fuerit vita concessa, effossionem perfe-  
 rat oculortū, secundum quod in lege hac hucusque fuerat constitutum: decaluitatus tamē  
 50 c. flagella suscipiat, & sub artiori vel perpetuo erit religandus exilio pœnæ, & insuper  
 nullo vnquam tempore ad Palatini officii reuersurus est dignitatem; sed seruis princi-  
 pis factus, & sub perpetua seruitutis cathena in principis potestate redactus, æterna te-  
 nebitur exilii religatione obnoxius: quatenus nec excidium videat quo fuerat nequiter  
 delectatus, & amarissimam vitam ducere se peremniter doleat. Res tamen omnes huius  
 tam nefarii transgressoris, vel eius qui morte est pro tali scelere perimendus, vel illius  
 cui vita propter suam nequitiam infelicissimè reseruabitur, in regis ad integrum pote-  
 state consistant: & cui donatæ fuerint, ita perpetim securè possideat, vt nullus vnquam  
 succedentium Regum causam suam & gentis vitiaturus has vllatenus aut vltèrius aufer-  
 re præsumat. Verum quia multi plerumque reperiuntur, qui dum his & talibus prauis



meditationib. occupantur, argumento quodam fallaci in ecclesiis, aut in vxoribus vel filiis atque amicis, seu in aliis quibuscunque personis suas inueniuntur transduxisse vel transducere facultates, etiam & ipsa quæ fraudulenter in dominio alieno contulerat, iure precario reposcentes, sub calliditatis studio in suo denuo dominio possidendarecipiât: vnde nihil de suis rebus visi sunt amisisse, nisi solum concinnatione falsissima, fictas, quasi veridicas videantur scripturas conficere vel proferre. Ideoque hanc nequissimam argumētationem præsentis legis decreto amputare elegimus: vt calcatis vel euacuatis seu rescissis scripturis hac fraude cōfectis quicquid eo quisq; tēpore possidere reperitur, quo fuerit in prædictis criminib. deprehensus, totum continuo fisci viribus ad integrum applicetur: vt concedere iam dictas facultates, sicut supra dictum est, cui Rex voluerit, vel facere exinde quicquid elegerit, in suæ potestatis consistat arbitrio. Alia vero quæcunque ab hac fraude aliena inuenta extiterint ordinata legibusque confecta, vigore legum maneat solidata: illis ab huius legis sententia personis euidenter exceptis, quibus à præcedētibus regibus culpa dinoscitur fuisse concessa. Nam si humanitatis aliquid cuiuscunque perfido Rex largiri voluerit, non de facultate eius, sed vnde placuerit principi, tantum ei solummodo concessurus est, quantum hereditatis eiusdē culpato vigesimam portionem fuisse constiterit.

VIII. NOV. EMDATA. FL. GL. RCDS. R.

*De non criminando principe nec maledicendo illi.*

**S**icut in persona principis omnibus prohibemus, aut commouere nequitiam cogitationis, aut manus iniicere vltionis; ita etiam nullum patimur in eum, aut notam ponere criminis, aut verba congerere maledictionis. Sacra namque auctoritas scripturæ, & non iubet accipere opprobrium aduersus proximum suum, & hunc, qui maledixerit principem populi sui, demonstrat existere reum. Quapropter quicunque in principem aut crimen iniecerit, aut maledictū intulerit, ita vt hūc de vita sua nō humiliter & silēter admonere procuret, sed huic superbe & cōtumeliose insultare pēstēpret, siue etiā in detractationis eius ignominia, turpia & iniuriosa præsumat: si ex nobilibus idoneisq; personis fuerit, siue sit religiosus, siue etiam laicus, mox detectus fuerit & inuentus, dimidiam omnium rerum suarum partem amittat, de qua idem princeps faciendi, quod sibi placuerit, potestatem optineat. Nam si de vilioribus humilioribusque personis fuerit, aut certè quem nulla dignitas exornauit, quod de illo, vel de rebus eius princeps voluerit, iudicandi licentiam habebit. Simili quoque præcepto, defuncto etiam principi a sum opportune interdiciamus detrahendi. In cassum etenim is qui viuit detractionis in defunctum iacula mittit, cum iam defunctus nec in institutionibus imbui, nec increpationibus possit argui. Sed quia pro certo illius insania innotescit, qui frustra in nō sentientem detractionis verba transmittit, ideo idem præsumptor l. verberibus vapulabit, & præsumptioni suæ oportuna silentia dabit. Reseruata cunctis hac plenius libertate, vt principe tam superstite, quàm mortuo, liceat vnicuique pro negotiis ac rebus omnibus, & loqui quod ad causam pertinet, & contendere sicut decet, & iudicium promereri quod debet. Ita enim proponere nitimur humanæ reuerētiam dignitati, vt deuotius seruare prebentur iustitiam Dei.

VIII. FLS. CNDS. REX.

*De remotis alienarum Gentium legibus.*

**A**lienæ gentis legibus ad exercitium vtilitatis imbui & permittimus & optamus: ad negotiorum verò discussionem & resultamus & prohibemus. Quamuis enim loquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeo eum sufficit ad iustitiæ plenitudinem, & præscrutatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ codicis huius series agnoscitur continere, nolumus siue Romanis legibus siue alienis institutionibus modo amplius conuexari.

X. NOV. EMDAT. FLS. RCDS. REX.

*Ne excepto talem librum, qualem hunc qui nuper est aditus, alterum quisque præsumat habere.*

† qualis hinc

Nullus



NVllus prorsus ex omnibus regni nostri, præter hunc librum qui nuper est æditus, atque secundum seriem † huius amodo translaturum librum alium legum, pro quoque negotio † in iudicio offerre pertentet. quod si præsumpserit xxx. libras auri fisco persoluat. Iudex quoque si veritum librum sibi postea oblatum dirumpere fortasse distulerit, prædictæ dampnationis dispendio subiacebit. Illos tamen à dampno huius legis immunes esse iubemus, qui præteritas & anteriores leges non ad confutationem harum legum, sed ad comprobationem præteritarum causarum proferre in iudicio fortasse voluerit.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De diebus festis & feriatis, in quibus non sunt negotia † exaudienda.

Die Dominico neminem liceat exsequutione constringi, quia omnes causas religio debet excludere. In quo nullus ad causam dicendam, neque propter aliquod debitum fortasse soluendum quenquam inquietare præsumat. Diebus Paschalibus nulla patitur quemlibet exsequutione teneri, id est, per xv. dies, septem qui Paschalem solemnitatem præcedunt, & septem alios, qui sequuntur. Natiuitatis quoque Domini, Circūcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis & Pentecostes, singuli dies simili reuerentia venerentur. Nec non & promessiuis feriis à xv. Kal. Augusti vsque ad xv. Kal. Septembris. In Carthaginensi verò prouincia propter locustarum vastationem assiduam à xv. Kal. Iulii vsque ad † xv. Kal. Augusti messiuas ferias præcipimus obseruandas. Et propter vindemias colligendas à xv. Kal. Octobris vsque ad xv. Kal. Nouembris. Omnibus hac constitutione concedimus, vt per hæc tempora, nullus ad causam dicendam venire cogatur, vel sub exsequutione aliqua deputeur, nisi fortè causa de qua compellitur cœpta iam apud iudicem fuisse videatur. Nam procul dubio si inchoata fuisse actio reperitur ad peragendum negotium absque vlla feriatorum dierum obiectione cogendus est ille, qui pulsatur: ita, vt si persona est cui facile credi possit, placito districtus abscedat: si certè sit de cuius fide dubitetur, pro se fideiussorem adhibeat, quatenus peractis temporibus supradictis, ad finiendam cum petitore causam, vbi iudex elegerit, remota dilatione occurrat; præter, qui tale crimen admiserint, quos necesse sit sententia mortis puniri. Qui etiam in talibus omnino diebus, & comprehendendi sunt, & ardua in vinculis custodia retinendi, quousque peracto die Dominico, vel feriis supradictis, debita subsequatur eos ultio iudicantis. Messiuus sanè, vel vindemialibus feriis, in criminosas & dignas morte personas, legalis nullatenus censura cessabit. Sed nec illū ista lex excusatū habebit, qui necdū ad iudicium ante cōpulsus, sed tamen sciens se esse quādoquidem cōpellendum, reliquis se temporibus dilatas, ad hoc in prædictis feriis illi à quo pulsandus est se indubitanter ostendit, quia putat se ad causam dicendam nulla legis sanctione posse teneri: quæ tamen aut per placitum distringi præcipimus, quando cum petitore causam finire sit præstus. Aut si forte talis est, de quo despecta sit placiti fides, neque fideiussorem pro se adhibere potuerit apud iudicem, sub custodia maneat: vt expleto tempore feriato, causa pro qua compellitur finem accipiat. Si quis autem contra decretum legis huius agere præsumpserit, & ad iudicem ex hoc querela peruenerit, lictus flagellorum publice extensus accipiat.

XII. ANTIQVA:

Vt nulla causa à iudicibus audiatur, quæ legibus non continetur.

NVllus iudex causam audire præsumat, quæ legibus non continetur; sed comes ciuitatis vel iudex aut per se aut per exsequutorem suum conspectui principis vtraque præsentare partes procuret. quò facilius & res finem accipiat, & potestatis regiarum discretionem tractetur, quatenus exortum negotium legibus inferatur.

XIII. FLS. RCDS. REX.

Vt terminatæ cause nullatenus reuoluantur: reliquæ verò ad huius seriem libri terminentur: adiucendi leges principibus libertate manente.

Quæcunque causarum negotia inchoata sunt, nondum verò finita, secundum has leges terminari sancimus. Illas autem causas quæ antequam istæ le-



ges à nostra gloria emendarentur, legaliter determinatæ sunt, id est, secundum legum modum, qui ab anno primo regni nostri in præteritis obseruatus est, resuscitari nullatenus patimur. Sanè leges adiciendi, si iusta nouitas causarum exegerit, principalis electio licentiam habebit: quæ ad instar præsentium legum vigorem plenissimum optinebunt.

XIIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quod nulli liceat dirimere causas, nisi quibus aut princeps, aut consensio voluntatis vel informatio iudicum potestatem dederit iudicandi.*

**D**irimere causas nulli licebit, nisi aut à principibus potestate concessa, aut ex consensu partium electo iudice trium testium fuerit electionis pactio signis aut subscriptionibus roborata. Nam & hi qui potestatem iudicandi à rege accipiunt, siue etiam hi, qui per commissoriam comitum vel iudicum iudiciali potestate vtuntur, vices suas aliis quibus fas fuerit scriptis peragendas iniunxerint, licitum illis per omnia erit: similemque & ipsi, qui informati à iudicibus fuerint, in iudicando, sicut & illi, à quibus determinandi acceperunt vigorem, habebunt in discernendis vel ordinandis quibuscunque negotiis potestatem.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quales causas audire debeant tyuphadi, & qualibus personis causas audiendas iniungant.*

**C**vm cæteris negotiis criminalium etiam causarum tyuphadi iudicandi concessa licentia sit, criminosos a legum sententiis ipsi iudicare non audeant, sed debitam in eis, vt competit, censuram exercent. Qui tyuphadi tales eligant quibus vicissitudines suas audiendas iniungant, vt ipsis absentibus illi causas, & temperatè discutiant, & iuste discernant.

XVI. FLS. RCDS. REX.

*Vt iudices tam criminales quam communes terminent causas.*

**O**mnium negotiorum causas, ita iudices habeant deputatas, vt & criminalia & cætera negotia terminandi sit illis concessa licentia. Pacis autem assertores, non alias dirimant causas, nisi quas illis regia deputauerit ordinandi potestas. Pacis autem assertores sunt, qui sola faciendæ pacis intentione regali sola destinantur auctoritate.

† RCDS.

XVII. FLS. † CHDS. REX.

*De dampnis eorum qui non accepta potestate præsumpserint iudicare.*

**N**vllus in territorio non sibi commisso, vel vbi ille iudicandi potestatem nullam haber omnino commissam, quemcunque præsumat per iussionem aut saionem distringere, aut in aliquo molestius conuexare, nisi ex regia iussione, vel partium electione, siue ex consensu, vel commissoriis atq; informationibus comitum, siue etiam iudicum sicut in lege superiori tenetur iudex quisque institutus. Certe qui non prædictus iudex præsumptuosus inlicitè hæc quæ prohibentur præsumpserit agere, confestim cum causa peruenerit ad prouinciæ ducem, an per se velit, an per quem ipse præceperit, tam inlicitam præsumptionem coercere procuret. Et illi siquidem cui præsumptuosus extitit, si solum contumeliam vel iniuriam fecerit, libram auri coactus exsoluat: si vero rem aliquam temeranter abstulerit, vel auferre præceperit, tantundem cum eadem re quam tulerat, aliud tantum de suo coactus exsoluat. Quod si quicumque iudex seruum suum, vel alienum ad discutienda negotia elegerit deputandum: pro his quæ idem seruus contra iustitiam & leges adtemptauerit agere, ad omnem satisfactionem legis iudex qui hunc ordinauerit, se nouerit detineri. Saio vero seu quisquis fuerit, qui huic obsequens præsum-



præsumptori, alium consenserit comprehendere, distringere, vel aliquid rerum auferre, c. publicè iactus flagellorum accipiat, & præsumptionem tali emendatione correat.

XVIII. SLS. † CHDS. REX.

† RCDs.

*De his qui ammoniti iudicis epistola vel sigillo ad iudicium venire contemnunt.*

10 **I**udex cum ab aliquo fuerit interpellatus aduersarium querelantis ammonitione vniuersæ epistolæ vel sigilli ad iudicium venire compellat: sub ea videlicet ratione, vt eoram ingenuis personis, is qui a iudice missus extiterit, ei qui ad causam dicendam compellitur, offerat epistolam vel sigillum. Et si tali ammonitione conuentus, aut se dilatauerit, aut ad iudicium venire contempserit, pro dilataatione sola quinque auri solidos petitori, & pro contemptu quinque alios iudici coactus exsoluat. Quod si non habuerit unde componat, l. flagellis contemptor idem vel dilatator coram iudice verberetur: ita vt non ei flagellorum ista correptio inducat notam infamiae. Si autem solummodo contemptor extiterit, & non habuerit, unde compositionem exsoluat, absque vlla testificandi iactura, triginta flagella suscipiat. Is autem qui pulsatur, si ad accipiendam ammonitionem iudicis, sese dixerit nullatenus dilataasse vel contempnisse, & hoc nullo poterit teste conuinci, dum sacramentum reddiderit, quod per nullam occasionem vel contemptum hoc fecerit, à dampnis vel flagellis superius comprehensis, habeatur indemnis. Quod si quislibet episcopus ammonitionem iudicis, fretus honore sacerdotali, contempserit, & pro sua persona assertorem dare distulerit, confestim à iudice negotii, seu à prouinciæ suæ duce vel comite compulsus l. solidorum dampnum excipiat. Ex qua summa pecuniæ xx. solidi iudici pro contemptu proficiant: xxx. verò sacerdotis ipsius petitor consequatur. Si certe presbyter, diaconus vel subdiaconus, atque clericus vel monachus, ad accipiendam iudicis epistolam vel sigillum se dilatauerint, aut pro sui persona ad respondendum minimè direxerint prosequutorem, aut contumaciter fuerint contemptores, vnusquisque eorum iuxta legis sententiam, quæ in laicis superius lata est, indicta dampna suscipiat. Et si non habuerit unde componat, eius episcopus moneatur, vt pro eo, si voluerit, satisfacere licentiam habeat. Si autem noluerit, sacramentis coram iudice se nouerit obligandum: quod supradictis personis talem restrictionem exhibeat, vt per triginta dierum spatium ieiuniis continuis affligantur. Sufficiatque illis circa Solis occasum per dies singulos panis & aquæ refectionem accipere, quæ contumacis vitam rationabili possit restrictione corrigere. Illa omnino restrictione seruata, vt si ætatis vel ægritudinis instantia patuerit, quæ hanc disciplinam sustinere non posse demonstrat, tam in clericis cuiuscunque ordinis, quam in laicis, non tam durissimam sententiam castigationis instantia compleat iudicis, sed adhibita consideratione in ægritudine vel ætate ita contemptorem corrigat, ne ipse contemptor, aut langorem maximum, aut debilitationem vel mortem incurrat. Ille verò qui ad implendam communitationem iudicis contemptor extiterit, seque ita dilatauerit, vt eum iudex tam facillè reperire non possit, & si post tempus indictum in diebus quatuor non occurrat, si quinta die venerit, omnem huius legis sententiam se nouerit euasurum. Pari modo & qui longius c. millibus conuenitur, si ad xi. diem post tempus institutum occurrerit, hunc nullatenus sanctionis huius poena dampnabit. Similiter & qui in ducetorum millium spatio constitutus, in xx. prima die postquam iussus fuerat, se ipsum iudici presentauerit ad audiendum, eo modo à iactura legis huius habeatur indemnis. Similis quoque seruabitur ordo, vbi fuerit amplior itineris longitudo. Hi denique quibus 10 tam rationabile tempus adiectum est, si se vterius dilatantes minimè ad institutum diem superadietionis occurrerint, confestim iudex ea quæ pars pe it querelantis, reseruato negotio dilatatoris, tradere non differat petitori: ita vt si contemptor in postmodum ad negotium dicendum successerit, si xx. primum diem transcenderit, xx. auri solidos cogat exsoluere. Nam & is qui de c. millibus superiorem ordinem præteriens, constitutionem xi. diei fuerit supergressus, & idem x. solidorum dampnum excipiat. De quibus dampnis superius institutis medietatem sibi iudex acquirat, alteram verò medietatem pars petentis optineat. Si tamen ammonitum, aut ægritudo ad veniendum nulla suspenderit, aut inundatio fluminum non tetinuerit, vel aditum non obstruxerit, in quo montes transituri sunt, conspersio superflua niuium. Quæ necessitas, vtrum cui-



denter euenierit, an per excufationem videantur opponi, aut idoneis testibus, aut suo iuramento firmabitur.

## XVIII. FLS. CHDS. REX.

*Si iudex interpellantem audire contempnat, vel utrum fraudulenter an ignoranter iudicium promat.*

**S**I quis iudici pro aduersario suo querelam intulerit, & ipse eum audire noluerit, aut sigillum negauerit, aut per diuersas occasiones causam eius protraxerit, pro patrocínio aut amicitia nolens legibus obtemperare, & ipse qui petit hoc testibus potuerit ap- 10  
probare, det ille iudex ei pro fatigatione eius tantum quantum ipse ab aduersario suo secundum legale iudicium fuerat accepturus: & ipsam causam ille qui petit, vsque ad tempus legibus constitutum, ita habeat referuatam, vt cum eam proponere voluerit, debitam sibi percipiat veritatem. Certe si fraudem aut dilationem iudicis non potuerit petitor approbare, sacramento suam conscientiam iudex expiet, quòd eum nullo malignitatis obtentu, vel quolibet fauore, vel amicitia audire distulerit, & propter hoc culpabilis idem iudex nullatenus habeatur. Eidem tamè iudici liceat, vt in vna hebdomada, duo-  
† si noluerit. bus diebus, vel omnibus meridianis horis, † si voluerit, absque causarum audientia, sua vacet domui pro quiete. Reliquo verò tempore, prolata sibi negotia frequens, & absque dilatione qualibet examinet.

## XX. NOVIT. EMDATA. ANTIQVA.

*Si iudex per commodum aut per ignorantiam iudicet causam.*

**I**udex si per quodlibet commodum male iudicauerit, & cuiusque iniuste quicquam auferri præceperit; ille qui à iudice ordinatus, ad tollendum fuerat destinatus, ea quæ tulit restituat. Nam ipse iudex contrarius æquitati, aliud tantum de suo quantum auferri iusserat, mox reformet: idè ablata re simpla redintegratione cõcessa, pro satisfactio- 30  
ne suæ temeritatis aliud tantum quantum auferri præceperat, de sua facultate, illi quem iniuste dampnauerat, reddat. Quòd si non habuerit vnde componat, tantum quantum abstulit saltem vel id ipsum ex toto quod habere videtur, illi quem dampnauerat pro omni compositione restituat. Quòd si ex omnibus nihil rerum habuerit vnde compositionem exsoluat, l. flagella publicè extensus suscipiat. Si autem per ignorantiam iniuste iudicauerit, & sacramento se potuerit † excusare, quod non per amicitiam vel cupiditatem aut per quodlibet commodum, sed tantummodo ignoranter hoc fecerit, quod iudicauit non valeat, & ipse iudex non implicetur in culpa.

\* expiare.

## XXI. FLS. GLS. CDRS. REX.

*Si iudex dolo vel calliditate aut vnã aut ambas causantium partes dispendia faciat sustinere.*

**T**Ranquillè ac sollicitè instantia † magnitudinis nostræ præmonet iudices omnes, non debere dilatare causidicos, ne graui dispendio aliquatenus onerentur. Quòd si dolo vel calliditate aliqua ad hoc videatur iudex differre negotium, vt vna pars aut am- 40  
bæ naufragium perferant, quicquid dispendii super octo dies à die ceptæ actionis causantes pertulerint, reddito sacramento totum eis iudex reddere compellatur. Si autem vel ægritudo vel publicæ utilitatis inductio suspenderit iudicem à peragendo negotio, nullam moram exhibeat litigantibus: sed sub hac eos definitione confestim absoluat, vt ad causam expediendam, competenti tempore, indubitanter occurrant.

† mansuetudo  
lib. 111.

## XXII. ANTIQVA.

*Quid primùm iudex seruare debeat vt causam bene cognoscat.*

**I**udex vt bene causam cognoscat, primùm testes interroget: deinde scripturas inquirat, vt veritas possit certius inueniri, ne ad sacramentum facile veniatur. Hoc. n. iusti- 50  
tiam



tiz potius indagatio vera commendat, vt scripturæ ex omnibus intercurrant, & iurandi necessitas sese omnino suspendat. In his verò causis † iuramenta præstentur, in quibus nullam scripturam vel probationem, seu certa iudicia veritatis, discussio iudicantis inuenit. In quibus tamen causis, & à quo iuramentum detur, pro sola inuestigatione iustitiæ, in iudicis potestate consistat.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si cuiuscunque honoris aut ordinis iudex dicatur haberi suspectus, vel si iudex contra leges præsumat iudicium dare.*

SI quis iudicem vel comitē aut vicariū comitis seu tyuphadū suspectos habere se dixerit, & ad suum ducē aditum accedendi poposcerit, vel fortasse eundem ducem suspectum habere se dixerit: non sub hac occasione petitor, ac præsertim pauper quislibet, patiatul ultra dilationem: sed ipsi qui iudicant eius negotium, vnde suspecti dicuntur haberi, cum episcopo ciuitatis, ad liquidum discutiant atque pertractent; & de quo iudicauerint, pariter conscribant subscribantque iudicium. Et qui suspectum iudicem habere se dixerat, si contra eundem deinceps fuerit querelatus, completis prius, quæ per iudicium statuta sunt, sciat sibi apud audientiam principis appellare iudicem esse permissum. Ita vt si iudex vel sacerdos reperti fuerint nequiter iudicasse, & res ablata querelanti restituatur ad integrum, & à quibus aliter, quàm veritas habuit, iudicatum est, aliud tantum de rebus propriis ei sit satisfactum. Si certe iniuste contra iudicē querelam intulerit, & causam de qua agitur iuste iudicatam fuisse constiterit, dampnum quod iudex sortiri debuit, petitor sortiatur: & si non habuerit vnde compositionem exsoluat, e. flagellis extensus publice in eiusdem iudicis præsentia verberetur. Nam si forte quisquam pro vilitate regia aliquid scire se dixerit, aditus ei ad conspectum nostræ gloriæ negari non poterit.

XXIII. FLS. GLS. CNDS. REX.

*Iudex qualiter faciat iudicatum.*

SI de facultatibus vel rebus maximis, aut etiam dignis, negotium agitur, iudex præsentibus vtrisque partibus, duo iudicia de re discussa conscribat, quæ simili textu & subscriptione roborata litigantium partes accipiant. Certe si de rebus modicis mota fuerit actio, solæ conditiones, ad quas iuratur apud eum qui victor extiterit, pro ordine iudicii habeantur. De quibus tamen conditionibus, & ille qui victus est, ab eisdem testibus roboratum exemplar habebit. Quod si pars, quæ pro negotio quocunque compellitur, professâ fuerit apud iudicem, non esse necessarium à petitore dari probationem, quamlibet parvæ rei sit actio, conscribendum est à iudice, suæque manu iudicio roborandū, ne fortasse quælibet ad futurum ex hoc intentio moueatur. Si vero ordinante iudice vna pars testes adduxerit, & dum oportuerit eorum testimonium debere recipi, pars altera de iudicio se absque iudicis consultu subtraxerit, liceat iudici prolatos testes accipere; & quod ipsi testimonio suo firmauerint, illi, qui eos protulit, sua instantia consignare. Nam ei, qui fraudulenter se de iudicio sustulit, producere testem alium omnino erit illicitum: qui scilicet hoc sibi tantum nouerit esse concessum, vt ante quam testes illi qui testimonium dederunt, moriantur, si habuerit quod rationabiliter in eis accuset, patienter audiatur à iudice. Et si accusatus testis fuerit euidenter conuictus, eius testimonium pro nihilo habeatur. Vnde & si duo testes non remanserint, qui digni in eodem testimonio maneant, ille qui prius testem optulerat, infra trium mensium spatium testes alios, qui coeptum negotium firment, inquirere non desistat. Quod si inuenire nequiuerit, rem vniuersam ille recipiat, qui eam ante visus fuerat possedisse. Iudex sanè de omnibus causis, quas iudicauerit, exemplar penes se pro compescendis contouersis reseruare curabit.

XXV. NOV. EM. FLS. GLS. CNDS. REX.

*De commodis atque dampnis iudicis vel saionis.*

COgnouimus multos iudices, eo quod per cupiditatis occasionem supergredientes legum ordinem, ex causis tertiam sibi præsumunt tollere partem: propterea nunc



præsenti lege constituitur, vt hæc talis iudicium cupiditas auferatur, & non amplius iudex pro labore suo & pro iudicata causa ac legitime deliberata, quam sicut constitutum fuerat in lege priori de xx. solidis vigesimum solidum præsumat accipere. Quod si quacunq; fraude quisquam super hunc numerum plus auferre temptauerit, omnia quæ legitime debuerat accipere, perdat. Illud verò quod iniuste contra huius legis ordinem super vigesimum solidum tulerit, duplum illi exsoluat, cui hoc auferri præcepit. Similiter quoque quia cognouimus, quod faiones qui pro causis alienis vadunt, maiores pro labore suo mercedes quam merentur accipiunt, propterea simili modo decreto huius legis adiicitur, vt qui pro causis alienis vadunt, decimum tantundem solidum, pro suo labore conquirant. Quod si aliquis super hunc constitutum numerum vsurpare præsumpserit, & mercedes, quas legitime debuit accipere, perdat, & quidquid super decimū solidum fraude quacunq; perceperit, duplū illi, cui abstulit, reddat. Quam datam commodi summam ex lege tam iudex quam faio de restitutæ rei compositione conquirant. Id tamen nouiter adiiciendum huic legi innectimus, vt si talis causa occurrerit, vnde compositio exsolui minime possit, tunc ab illo ratio præscripta commodi exigenda est iudicis vel faionis, qui aut commodatam sibi rem constituto die reddere non occurrerit, aut qui rei alienæ debitor, vel iniustus possessor extiterit. Pro celebrandis autem diuisionibus, si causa extiterit, iam quoque si vtraque pars rei competentia sibi iura reposcit, & debitam sibi partem portionis requirit, ab vtrisque partibus prædicta commoda exigenda sunt. Similiter autem & in huiusmodi causis, vbi nulla est culpa præsumptionis vsurpata, vel debitum possessorum, hic ordo seruabitur, vt commodum iudicis vel faionis, de vtrisque causantium partibus exigatur. Quod si diuisionem quisque cupiens celebrare, dilationem ab herede suo pertulerit: cum hæc causa ab eo, qui dilationem pertulit, iudici intimata extiterit, ab eo iudex commodum suum, vel faionis exigere debet, qui tardus pro ipsa diuisione extitit facienda. Quod si ea quæ iudex ordinare decreuit, faio † callidus implere neglexerit, res de qua agitur, si vnciam auri vel infra valere constiterit, illi cui res debita est idem faio de suo auri solidum reddat. Si certè plus valuerit, per singulas vncias, singulos solidos pro sua tarditate persoluat. Idem vero si super duas vncias vsque ad libram auri eadem res valere probatur, x. flagella suscipiat. Ac sic crescente auri numero, crescat & poena flagelli. Idem verò faiones, cum pro causis alienis vadunt, si minor causa est & persona, duos caballos tantum, ab eo cuius causa est, accipiat fatigandos. Si verò maior persona fuerit & causa, non amplius quam sex caballos, & pro itinere & pro dignitate debebit accipere.

†repidus.

XXVI. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Quod omnis qui potestatem accipit iudicandi, iudicis nomine censeatur ex lege.*

Quoniam negotiorū remedia multimodæ diuersitatis cōpendio gaudent, adeo dux, comes, vicarius, pacis assertor, tyuphadus, millenarius, quingētenarius, cētenarius, decanus, defensor, numerarius, & qui ex regia iussione, aut etiā ex consensu partiū, iudices in negotiis eliguntur, siue cuiuscunq; ordinis omnino persona, cui debite iudicare conceditur, ita omnes in quantum iudicandi potestatem acceperint, iudicis nomine censeantur ex lege: vt sicut iudicii acceperint iura, ita & legum sustineant siue commoda siue dampna.

XXVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Vt omne vinculum quod post datum iniustum iudicium à causidicis violentè fuerit exactum, omnino habeatur inualidum.*

Vidimus interdum iustitiam ab iniquis iudicibus & suo loco seclusam, & debito vigore solutam: iniustitiam autem & loco iustitiæ introductam, & multis modis decretorum vinculis alligatam. Quidam enim postquam iudicia iniusta conscripserint, aut vnam aut ambas causantium partes, placitorum inter se nexibus ligant, ne iniuste datum iudicium quandoque iusta contentione resoluant. Adeo vbi non directus, & bene placitus est conuenientiæ modus, sed vbi pro comprimenda iuste causantis intentione vel voce reperiuntur quocunq; modo definitionum vincula conligata, omnibus modis habeantur inualida, nec sint adinventionis alicuius connexionem firmata.



XXVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Vt iniustum iudicium & definitio iniusta regio metu vel iussu à iudicibus ordinata non valeat.*

**N**onnunquam grauedo potestatis deprauare solet iustitiam sanctionis: quæ dum sæpe valet, certum est, quod sæpe nocet. Quia dum frequenter vigore ponderis iustitiam premit, nunquam in statum suæ rectitudinis hanc redire permittit. Ideoque quia sæpe principum metu vel iussu, solent iudices iustitiæ interdum legibus contraria iudicare, propter hoc tranquillitatis nostræ vno medicamine concedimus, duo mala sanare decernentes, vt cum repertum fuerit, qualecunque scripturæ contractum, seu quodcunque iudicium non iuste, vel debitis legibus, sed iussu aut metu principum esse confectum, & hoc, quod obuium iustitiæ, & legibus iudicatum est atque concretum, in nihilum redeat, & eos qui iudicauerint vel hoc facere coegerint, nullius infamiæ nota conspergat vel rei alicuius dampnum affligat. Qui tamen iudices tunc erunt à legum dampnis immunes, si se iuramento firmauerint, non sua prauitate, sed regio vigore nequiter iudicasse.

XXIX. FLS. RCDS. REX.

*De data episcopis potestate destringendi iudices nequiter iudicantes.*

**Q**uia multimodè occurrere debet miserorum penuriis nostræ remedium pietatis, ideo quemcunque pauperem constiterit causam habere, adiunctis sibi aliis viris honestis, episcopus inter eos negotium discutere vel terminare procuret. Ita vt si contempni se à comite, vel nolle eum adquiescere veritati sacerdos inspexerit, potestatis eius sit eundem comitem legis huius permissione constringere, & emissio iusto iudicio cum rei compositione rem de qua agitur petentibus partibus consignare. Quod si comes iudicium episcopi fuerit contemptus implere, tantum episcopo pro contemptu solo dare cogatur, quantum quintam partem valere constiterit, de re illa vnde actio cōmota esse videtur. Si vero episcopus, fraudis communionem cum comite tenens, repertus fuerit pauperi facere dilationem, eandem quintam partem eidem episcopus querelanti coactus exsoluat: stante nihilominus sic quoque negotio pauperum, donec iudicium inueniatur veritatis: & comes vel iudex qui hunc audire noluit, vltionem sustineat legis quæ inuenta fuerit iudicio æquitatis.

XXX. ITEM ALIA LEX. DE QVO SV PRA.

*De data Episcopis potestate ammonendi iudices nequiter iudicantes.*

**S**acerdotes dei, quibus pro remediis oppressorum vel pauperum diuinitus cura commissa est, Deo mediante testamur, vt iudices peruersis iudiciis populos opprimentes paterna pietate commoneant, quo malè iudicata meliori debeant emendare sententia. Quod si hi qui iudicaria potestate funguntur, aut iniuste iudicauerint causam, aut peruersam voluerint in quoslibet ferre sententiam: tunc episcopus in cuius hoc territorio agitur, conuocato iudice ipso qui iniustus asseritur, atque sacerdotibus vel idoneis aliis viris, negotium ipsum vna cum iudice, communi sententia, iustissimè terminabit. Quod si peruersa contentione iudex ipse permotus iniquum à se datum iudicium exhortante episcopo noluerit reformare in melius, tunc episcopo ipsi licitum erit iudicium de oppressi causa emittere. Ita vt quod à iudice ipso peruersè iudicatum, quodvè à se correctum extiterit, in speciali formula iudicii sui debeat adnotare. Sicq; idē episcopus, & eū qui opprimitur, & emissū à se de oppressi causa, iudiciū nostris procuret dirigere sensibus pertractandum: vt quæ pars veritatis videatur habere statum glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmetur. Iam verò si iudex eum qui malè opprimitur episcopo dare distulerit, quomodo nostræ gloriæ debeat præsentari, iudex ipse duas auri libras nostræ gloriæ partibus persoluebit.



*Vt iudex, si à quocunque fuerit pulsatus, nouerit se petenti reddere rationem.*

**I**udex si à quacunque persona fuerit pulsatus, sciat se vel ante comitem ciuitatis, vel ante eos, quos ad suam personam comes elegerit, rationem plenissimā legali ordine redditurum. Sane si regia in hoc negotio fuerit <sup>postulata.</sup> † præstolata præceptio, remoto episcopo aliisque iudicibus, causam qui fuerint iudices instituti terminare curabunt, Et si ceptam apud iudicem aut finita, seu apud sacerdotem, siue apud comitem actione, causidicus ille iterū cū regali iussione occurrerit, is qui causā iudicare cœpit seu finiuit, illis reigestæ redditurus est rationem, qui per regium decretum instituti sunt iudices: quatenus, si malè iudicasse conuincitur, iuxta leges satisfaciat petitori. Certè si iniuste fuerit aduexatus, legali se nouerit petitor sententia dampnaturum.

XXXII. FLS. RCDS. REX.

*De dampnis iudicum aliena contingentium.*

**C**um constet iudices causa remediorum esse creatos, quidam ex his per contrarium quod debuerunt iudicii æquitate defendere, illatis contendunt præsumptionibus impugnare. Accepta nanque auctoritate iudicii præsumunt non debitam, in alienis rebus exercere licentiam, & prout cuique libet non metuunt aliorum bonis inferre dispendia noxiæ potestatis. Proinde quicunque iudicum contra iussa & ordines legum de alienis rebus quippiam auferre, vel in eis aliquid noxium præsumperint agere, iuxta omnem censuram dampni, qua poterant alios iudicare, seueritas legis illos debeat condemnare.

XXXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De his qui regiam contempserint iussione.*

**Q**uicunque ingenuorum regiam iussione contempnere inuenitur, aut taliter se egisse probatur, quo sub calliditatis aliqua fictione proponat & dicat eandem iussione se nec uidisse nec accepisse, dum calliditatis huius fraus manifeste patuerit: si nobilior persona est, tres libras auri fisco persoluar. Si autem talis sit quæ non habeat unde rei summam adimpleat, sine suæ infamia dignitatis centum ictus accipiat flagellorum. Quod si euentus ægritudinis, commotio tempestati, inundatio fluminis, conspersio niuium, vel si quid inuitabile noxiæ rei obuiasse veris patuerit iudiciis, non erit reus regie iussione, aut dampni indicti, cui obuia fuit causæ manifestæ necessitatis.

XXXIII. FLS. GLS. EGIGA. REX.

*De his qui ob noui principis fidem seruandam iurare distulerint, vel de illis qui ex Palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.*

**C**um diuinæ voluntatis imperio principale caput regnandi sumat sceptrum, non leui quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut iurasse, ut moris est, pro fide regia differat; aut si ex Palatino officio fuerit, ad eiusdem noui principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sane ingenuorum de sublimatione principali cognouerit, & dum discussor iuramenti in territorio illo accesserit, ubi eum habitare contigerit, quæsitâ occasione se fraudulentè distulerit, in eo ut pro fide regia conseruanda iuramenti se vinculo alliget: aut ille, qui sicut præmissimus ex ordine Palatino fuerit, minimè regis obtutibus se præsentadum ingesserit: quicquid de eo vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel iudicare voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Quod si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ utilitatis actio eum retinuerit, ut regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regie electionis sublimitas quibuslibet modis ad eius cognitionem peruenerit, statim per suam iussione id ipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret: qualiter fidei suæ sinceritatem ostendens, huius legis sententiâ euadere possit.



II. Titulus  
DE CAUSARVM EXORDIIS.

- I. *Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare causam cum petentis auctore non dixerit.*
- II. *Vt nulla audientia clamore aut tumultu turbetur.*
- III. *Vt de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia.*
- IV. *Vt amb.e partes causantium à iudice vel saione placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter conuenire.*
- V. *Quod ab vtraque causantium parte sit probatio requirenda.*
- VI. *De quantitate itineris, quo alium quisque innocentem fatigare presumpserit.*
- VII. *Si quislibet ex alterius iudicis potestate in alterius iudicis territorio habeat causam.*
- VIII. *De his qui in causis alienis patrocinare presumpserint.*
- VIII. *Vt petenti seruo alieno respondere ingenuus non recuset.*
- X. *De his qui negotia sua iuris principalis appetunt examine finienda, & postea reuertes ad conuenientiam redeunt.*

I. ANTIQVA.

*Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare causam cum petentis auctore non dixerit.*



VLIVS quemcunque repetentem hac obiectione suspendat: vt dicat idcirco se non posse de negotio conuenire, quia ille qui pulsar, causam cum eius auctore non dixerit, nec eum aliqua repetitione pulsauerit, excepto si legum tempora obuiare monstrauerit.

II. FLS. RCDS. REX.

*Vt nulla audientia clamore aut tumultu turbetur.*

Audientia non tumultu aut clamore turbetur, sed in parte positis qui causam non habent, illi soli iudicium ingrediantur, quos constat interesse debere. Iudex autem si elegerit auditores alios secum esse presentes, aut fortè causam quæ proponitur cum eis conferre voluerit, suæ sit potestatis. Si certè noluerit, nullus se in audientiam ingerat, partem alterius quacunque superfluitate aut obiectione impugnaturus, qualiter vni parti nutri possit impedimentum. Quod si ammonitus quisquam à iudice fuerit, vt in causa taceat, ac prestare causando patrocinium non presumat, & ausus ultra fuerit parti cuiuslibet patrocinari, decem auri solidos eidem iudici profuturos coactus exsoluat. Ipse verò in nullo resultans contumeliose de iudicio proiectus abscedat.

III.

*Vt de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia.*

Si pars aduersariorum litigatores vna plures habeat, & alia pauciores: iudicantis inter eos erit electio, vt vtræque partes impugnantes se inuicem eligant, qui eorum negotia suscipiant. quia omnes ad causam dicendam consergere non debent. Sed vt diximus ab vtraq; parte electi in iudicio ingrediantur, vt nulla pars multorum intentione aut clamore turbetur.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Vt amb.e partes causantium à iudice vel saione placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter conuenire.*

Sæpe negligentia iudicum vel saionum dum duarum partium sponso non exigitur, vna pars superflue conuexatur. Nam occurrente vno ad placitum & alio differente



non paruum dispendium vni parti concutitur. Statuimus ergo, cunctosque iudices, vel quibuscunque iudicandi potestas est, commonemus: vt quotiens pro quocunque negotio per sponfionem placiti constituendum est tempus, quando, aut vbi causa dicatur vel debitum fortasse reddatur, pars vtraque, hoc est, tam petentis quam petiti, ita placito distringatur, vt in constituto die, aut per se aut per mandatarios suos, præsti sint in iudicio, qualiter aut propositum negotium finiatur aut debitum reformetur. Et pars que distulerit, ac sese à præfinito die suspenderit, aut si infirmitas cum vel itineris necessitas impederit, & hoc ipsum suo iudici aut causidico suo non intimauerit, neq; ad peragendum negotium infra tempus alia lege constitutum occurrerit, stâte negotio pœnâ placiti sui illi cogatur exsoluere, quæ iuxta suam promissionem in iudicio adesse cõstitit. Quod si iudex hæc aut saio implere distulerit, & vnam partem placito distringens alterâ prætermiserit, pœnam illam qua illum dampnare voluit, quem solû sub placito misit, de suo illi adimpleat, cui placitum visus est exegisse. Certè si in dampno partis alterius, placitum quod ab altero exegit, alteri parti iudex vel saio reddiderit: aut fortasse ruperit vel absconderit, pœnam quidem, quæ in placito inserta fuerat, de suo illi persoluat, pro cuius causa conscriptum placitum esse constabat: actionem tamen ille, cui competit, ad peragendam insistat. Dampnum sane quod per placitum in nomine iudicis aut saionis institutum esse dinoscitur, non ad saionem vel ad iudicem ex omnibus pertinebit, sed saluo negotio veritatem habentis, medietatem sibi iudex & saio, & medietatē pars petentis per omnia vindicabit.

V. FLS. CHDS. REX.

*Quod ab vtraque causantium parte sit probatio requirenda.*

**Q**uotiens causa auditur, probatio quidē ab vtraque parte, hoc est tam à petente quā ab eo qui petitur, debet inquiri, & quæ magis recipi debeat, iudicem discernere competenter oportet. Tamen si per probationem rei veritas inuestigari nequiverit, tunc ille qui pulsatur, sacramentis se expiet, rem vel si quid ab eo requiritur, neq; habuisse, neque habere, neq; aliqua de causa vnde interrogatur se conscisum esse, vel quicquam inde veritatis seire, nec id quod dicitur & illi parti cui dicitur commisisse. Et postquam ita iurauerit qui pulsatus est, quinque solidos ille qui pulsauit cogatur exsoluere.

VI. FLS. CHDS. REX.

*De quantitate itineris quo alium quisque innocentem fatigare præsumpsit.*

**R**emoueri debet iniuria ab his quorum probatur innocentia, & à molestiis improborum existere aliena. Proinde cum quisque alium ad principis conspectum, vel ad discussionem quorumlibet iudicum, iniuste compulerit ad prosequendum negotium, & mox probata fuerit non iusta petentis esse contentio: si supra quinquaginta millium vel infra quinquaginta millium quamlibet paruum spacium compulsus iniuste extiterit conuexatus, quinque solidos pro iniusta tantundem petitione a petitore percipiat. Si per sexaginta millia, idem iniustus petitor vi. solidos reddat. Ac sic deinceps crescente x. millium numero, singulorum solidorum crescat & numerus: vt per c. millia indebitè fatigato x. solidi à petitore dentur iniusto. Sicq; ex hoc per quinquaginta millia solidos v. & per c. millia crescentibus solidis x. vsque adeo perueniat summa compositionis per quinquaginta millia, vsquequo peruenierit eductus itineris.

VII. FLS. CHDS. REX.

*Si quilibet ex alterius iudicis potestate, in alterius iudicis territorio habeat causam.*

**S**i quisdam ingenuorum atque seruorum extra territorium in quo commahet, in alterius territorio iudicis causationem habuerit: iudex ad cuius ordinationem idem petitor pertinet, epistolâ sua manu subscriptam atque signatam eidem iudici dirigat in qua præmoneat, vt negotium querelantis audire & ordinare non differat. Et si ad vnam conuentionem ipse rationem eius implere distulerit, tunc ille iudex, de cuius territorio

fitorio est ille qui petit, de rebus iudicis illius ad quem direxit epistolam, in quibuscun-  
 que locis reperire potuerit, tantum vsurpet, quantum res illa esse dinoscetur, de qua  
 petitur querelam intulerit. quod eidem petitori possidendū nihilominus dabit. Quam  
 rem ira possideat qui acceperit, vt conseruatis aliis rebus de solis frugibus vsu & ex-  
 pensas optineat. Cum verò ille iudex, qui ad epistolam alterius iudicis negotium que-  
 relantis audire noluerit, iustitiam ex eodem negotio querelanti priori fecerit, ea quæ il-  
 le iudex qui commonuit de rebus eius abstulerat, ipse alteri iudici sine retardatione re-  
 stituat. De frugibus verò rationabiliter expensis ille qui expendit nihilominus reddat.  
 Quod si postea, iustissimè discusso negotio, inueniatur iudex ille per iniustam petitoris  
 querelam rem indebite amisisse, tunc iniustus petitor, rem quam accepit, illi iudici cu-  
 10 ritus fuit, ex integro reddat, & aliud tantum de suo ei coactus exsoluat. Quod si iudex il-  
 le qui dilationem fecit, rerum suarum possibilitatem in vicino non habet, vnde alter iu-  
 dex qui commonuit, petitori repenset; tunc de territorio eiusdem iudicis differentis  
 cuiuscunque rei tantum auferat, quantum petenti consignet, aut certe ob signatam pe-  
 titori faciat cessionem, in qua pigneris quantitatem adnotet, per quam petitor præsu-  
 mendi sibi habeat potestatem. Dum vero ille qui pigneratus extiterit, regi, duci vel co-  
 miti, pro tali fuerit pignere querelatus, eadem pigneris dampna quæ idem suggerens  
 pertulit, in quadruplum ei de suo iudex ipse dilationis coactus restituat. Quod si de  
 rebus debitoris petitor pignus abstulerit, ad superiorem satisfactionem iudex teneri nõ  
 20 poterit. Certe si idem iudex ammonitus absque dilatione causam audierit petitoris, in  
 qua eum proueniat habere nullatenus veritatem, iudicium per quod eius iniustitia pa-  
 tet, euidentibus scripturis emittat. De cuius textu exemplar fideliter translatum, sua-  
 que manu subscriptum atque signatum iudici, à quo ammonitus fuerat, dirigere non  
 moretur. Et si post hoc æquitatis iudicium patuerit præsumptio pignerantis, ingenuus  
 siquidem ea quæ causa pigneris abstulerit, duplam idem amissam rem, cum simili re in  
 satisfactione restituat. Seruus autem qui talia commisisse detegitur, c. i. ctus accipiat  
 flagellorum, atque turpiter decalutu in integrum mox reformet rem quam causa pi-  
 gneris occupauit. Illi vero qui ad pignerandum conuenerint, si serui sint, & sua spon-  
 30 tione concurrerint, centenis & ipsi verberentur flagellis. Si vero ingenui, aliud tantū domino  
 restituant, quantum ei abstulisse probantur, sequestrata illius compositione, qui pignus  
 indebite fecisse conuincitur.

## VIII. ANTIQVA.

*De his qui in causis alienis patrocinare presumunt.*

Quicumque habens causam ad maiorem personam se propterea contulerit, vt in iu-  
 dicio per illius patrocinium aduersarium suum possit opprimere, ipsam causam de  
 qua agitur, & si iusta fuerit, quasi victus perdat: liceat iudici, mox vt viderit quemcun-  
 40 que potentem in causa cuiuslibet patrocinare, de iudicio eum abicere. Quod si po-  
 tens contempserit iudicem, & proterue resistens de iudicio egredi vel locum dare iudi-  
 canti noluerit, potestatem habeat iudex, ab ipso potente duas auri libras, vnam sibi, al-  
 teram parti eius, cui potens ipse aduersarius extitit, profuturas exigere, & hunc cum in-  
 iuria violenta à iudicio propulsare. Reliqui vero ingenui siue serui, qui ammoniti à iu-  
 dice abscedere de iudicio non consenserint, singuli publicè extendantur, & quinquag-  
 enis flagellorum ictibus verberentur.

## IX. FLS. CHDS. REX.

*Vt petenti seruo alieno respondere ingenuus non recuset.*

Superflue excusantem lex ideo corripit, vt omnis præsumptio coerceri facillimè  
 possit. Nonnulli enim ingenui seruos alienos ludere prompti sunt, & ad serui pe-  
 50 tionem iudicio adesse contempnunt, asserentes se vtique cum eo causam dicere non  
 debere, à quo eis componi non poterit, si victores extiterint. Sed ne sub hac dilatione,  
 dum etiam serui dominus, supra quinquaginta milliaria absens est, aut vtilitati domini  
 sui fiat impedimentum, aut ipse seruus indebitè perferat fortasse periculum: ita consul-  
 tissime decernendum eligimus, vt nulli penitus audientia denegetur. Sed si cuiuscun-  
 que seruus cum quolibet se asseruerit seu suum siue domini sui vel dominæ habere ge-



gotium, statim ille contra quem habet, prestus esse ad iudicium compellatur, aut petenti proculdubio responsurus, aut compositionis summam legaliter impleturus, si à seruo fuerit iustissime superatus. Ita ut si seruus quod proponit, conuincere non potuerit, ingenuus idem conscientiam suam expiet sacramentis, se nihil horum vnde appellatur, scire vel habere, neque fecisse vel fieri præcepisse. Et post tale sacramentum, seruus pro iniusta petitione sicut & ingenuus componere non moretur. Nec tamen pro eadem compositione ultra resultet dominus eius: tantum ut si minor est actio, quam decem solidi possunt valere, seruus compositionis medietatem, hoc est duos semis solidos cogatur exsoluere. Quod si infra quinquaginta milliaria, serui dominum esse constiterit, non aliter seruus ingenuum petere poterit, nisi forte per se dominus eius in iudicio adesse non possit, & ad proponendum à seruo negotium, epistolam manu sua subscriptam per eundem seruum iudici destinauerit. Quod si seruus domini sui proponens negotium, aut fraude aut negligentia, domini sui vitauerit vel perdidit causam, liceat domino eius, eandem vitiatam causam aut per se aut per legitimum mandatarium suum reuoluere, & iustissimis iterum vocibus partis suæ negotium reparare.

X. FLS. GLS. EGIGA. REX.

*De his qui negotia sua iuris principalis appetunt examine finienda, & postea renuentes inter se citra principale iudicium ad convenientiam redeunt & pacificare presumunt.*

SI cœpta causantium negotia, dirimentis non terminet discreta censura, non solum difficile sedantur altercantium iurgia, sed aduersis causatur obiectibus iustitia perquisita. Solent enim plerique, postquam suarum intentionum iurgia principali appetunt examine finienda, quandoque resoluti licentia, legalem fugiendo censuram, ad convenientiæ finem deducere, quam Regis auditibus protulerant causam. Ne ergo sub fraudis huius sacramento pars causantium iudicalem fori æquitatem effugiat: ideo præsentis legis sanctione decernimus, ut quicumque deinceps causam suam regio intimauerit culmini decernendam, nulla ratione se de iudicio submoueat, nec quamlibet cum suo aduersario convenientiam agat; sed tandiu cœpti negotij propositionem intendat, donec regalis clementia speciale partibus iudicium promat. Quod si inchoatum negotium coram principe, vel quos idem princeps arbitrio suo elegerit, expedire neglexerit, & quamcunque cum suo causidico definitionem peregerit, tam petitor quam pulsatus tantum regiæ potestati persoluerere se nouerint, quantum ille cuius petitio extiterit, pro causa ipsa conquerere poterat: ita videlicet, ut quod regia potestas exinde facere vel iudicare decreuerit, in arbitrio voluntatis suæ subiaceat. Simili quoque dampno & illi multandi sunt, qui iurgia intentionum suarum iudiciali appetunt examine finienda, & post causæ initium renuentes iudicium de inchoato præsumperint inter se de partem negotio. Sic quoque ut tam iudex quam saio dampni ipsius exsolutionem inter se diuidere debeant, suoque iuri habituram optineant. Quod si ipsi causidici non habuerint vnde dampnum ipsum persoluant, centenos ictus flagellorum vtrique accipiant. Et sic denuo iudex ille causam ipsam terminandi licentiam habeat. Illos tantundem à legis huius iactura indempnes efficiant, quibus aut regia iussio licentiam deliberationis indulserit, aut quos iudex ille qui causam terminat, inter se pacificandos absoluerit.

### III. TIT.

#### De mandatoribus & mandatis.

- I. *Quod principum & episcoporum negotia, non per eos, sed per subditos suos sint agenda.*
- II. *Vt iudex à litigatore perquirat, utrum propria an aliena sit causa prolata.*
- III. *Vt qui per se causam non dicit scriptis assertorem informet.*
- III. *Vt in personis nobilibus questio per mandatum nullatenus agitur, & qualiter humilior ingenuus siue seruus per mandatum questioni subdat.*
- V. *Vt si dilationem in causa patitur, qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum.*
- VI. *Ne causam suscipiat femina per mandatum, liceat verò ei ut propria exsequatur negotia.*

- VI. *Vt sicut lucrum, ita & dampnum reuertatur ad mandatore[m]: de commodis etiam mā-*  
*datum accipientibus.*
- VII. *Vt si mortuus fuerit is qui mandatum accepit, commodum illi debitum heredes eius ac-*  
*cipiant.*
- VIII. *Qualibus personis potentes, & qualibus pauperes prosequendas actiones iniungant.*
- X. *Quod liceat his quibus commissus est fiscus, pro re fisci quibus voluerint exsequendas in-*  
*iungere rationes.*

I. FLS. RCDS. REX.

*Quod principum & episcoporum negotia, non per eos, sed per*  
*suos sint agenda.*

**M**agnorum culminum excellentiam, quāto negotiis rerum dare iudiciū  
 decet, tanto negotiorum molestiis sese implicare non debet. Si ergo prin-  
 cipem vel episcopum cum aliquibus constiterit habere negotium, ipsi pro  
 suis personis eligant, quibus negotia sua dicenda committant: quia tantis  
 culminibus videri poterit contumelia irrogari, si contra eos vilior persona  
 in contradictione causæ videatur assistere. Cæterum & si rex voluerit de re qualibet  
 propositionem assumere, quis erit qui ei audeat vllatenus resultare? Itaque ne magnitu-  
 do culminis eius euacuet veritatem, non per se, sed per subditos agat negotium actio-  
 nis.

II. RCDS. REX.

*Vt iudex primum à litigatore perquirat, vtrum propria an aliena*  
*causa sit prolata.*

**I**udex primum à litigatore perquirat, vtrum propriam causam dicat, an alienam for-  
 tasse susceperit. Interrogetur etiam cuius mandatum habeat. Et postquam causam  
 iudicauerit iudex, comprehendat in iudicio, quem aut ex cuius mandato audierit ne-  
 gotium prosequentem, ac præterea mandati exemplar accipiat illius assertoris apud se,  
 cum iudicati exemplaribus referuandum. Liceat tamen illi qui pulsatus est, mandatum  
 à petitore coram iudice petere: vt quam ob causam fuerit iudicio præsentatus, vel quid  
 tenor mandati contineat, indubitanter possit agnoscere.

III. ANTIQVA.

*Vt qui per se causam non dicit scriptis asserto-*  
*rem informet.*

**S**i quis per se causam dicere non potuerit, aut fortè noluerit, assertorem, per scriptu-  
 ram suæ manus, vel testium signis aut subscriptionibus roboratam dare debet. Ita  
 vt si isdem assertor aliquod ÷ concludium fecerit, qualiter ab aduersario suo possit in iu-  
 dicio superari, aliud tantum de facultate sua mandatori restituat, quantum de rebus e-  
 ius perdidit aut euertit, vel etiam quæ ipse mandator optinere seu acquirere debuit. Ser-  
 uo tamen non licebit per mandatum causas quorumlibet suscipere, nisi tantum  
 domini vel dominæ suæ, ecclesiarum quoque vel pauperum, siue etiam negotiorum  
 fiscalium.

\* colluuium.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Vt in personis nobiles quæstio per mandatum nullatenus agitetur, &*  
*qualiter humilior ingenuus siue seruus per man-*  
*datum quæstioni subdat.*

**Q**uæstionem in personis nobiles nullatenus per mandatum patimur agitari. Inge-  
 nuam verò & pauperem personam atque in crimine iam ante repertam, non aliter  
 ex mandato, subdendam quæstioni permittimus, quàm vt mandator de eadem perso-



na, non seruo sed ingenuo, per mandatum manu sua subscriptum, vel triū testiū adnotatione firmatū, specialiter cōmittat agendū. Et si fortasse innocentē fecerit tormentis affligi, sciat se idem mandator, censura illius legis noxium retineri, quæ continetur in lib. vi. tit. i. era secunda. vbi præcipitur, pro quibus & qualibus rebus ingenuorum personæ subdendæ sint quæstioni. Reliquas autem criminales causas ita per mandatum liceat committendas, vt, sicut prædictum est, contra personam ingenuam, ingenuo assertori quæstionis actio committatur. Seruum verò per mandatum subdere quæstioni, tam ingenuo quàm seruo iure conceditur, hac videlicet constitutione seruata: vt si tormēta vel dampna innocentibus fuerint irrogata, ad omnem satisfactionem mandator iudicis compellatur instantia. Nec dimittendus est tamen is qui mandatum accepit, donec aut mandator sit coram iudice præstus, aut satisfactionem adimpleat legum. Et tamen qui quæstionem ex mandato agitaturus est, ante se vel vt proprii iuris dominus, per placiti vinculum à iudice nouerit obligandum.

## V. ANTIQVA.

*Vt si dilationem in causa patitur qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum.*

**Q**ui causam alicuius ex mandato suscepit, vt negotium peragatur insistat. Quod si protrahit tempus, & causa quæ forsitan celerius poterat expediri, aut occasionibus superfluis aut fraudulenta dilatione suspenditur, mandator recurat ad iudicem: & qui mandatum acceperat, si malitiæ alicuius aut cupiditatis vel negligentia vitio, aduersario presente vel iudice, susceptum negotium vltra x. dies absque præcepto iudicis dilatauerit, is qui mandauerat, aut per se proponere aut alicui quem elegerit suam liceat committere actionem.

## VI. ANTIQVA.

*Ne causam suscipiat femina per mandatum, liceat verò ei vt propria exsequatur negotia.*

**F**emina per mandatum causam non suscipiat, sed suum proprium negotium in iudicio proponere non vetetur. Maritus sanè non sine mandato causam dicat vxoris, aut certè ante iudicem seu alios quos iudex elegerit, se tali obliget vinculo cautionis, quo vxor negotium eius non reuoluat: & si reuoluerit, dampnum quod cautio demonstrat, maritus excipiat, qui sine mandato causam dicere præsumpsit vxoris. Quòd si maritus causam quæ sine mandato coniugis suæ prosequeretur amiserit, vxor nullum præiudicium pertimescat: sed aut per se negotium prosequatur, aut cui voluerit ea quæ ipsi competunt prosequenda commendet. Ita vt si marito per iudicium iustè superato, denuo ad causam dicendam aduersarium illum, qui victor extiterat, pars mulieris crediderit conuexandum, atque in iudicio secundo patuerit eundem eius maritum non indebitè victum fuisse: nouerit eadem mulier non solum se iudici, qui causam prius examinauit, sed & illi causidico, quem iteratim ad iudicium compulsi, iuxta legis sententiam esse satisfacturam.

## VII. ANTIQVA.

*Vt sicut lucrum ita & dampnum reuertatur ad mandatorē de commodis etiam mandatum accipientis.*

**S**icut lucrum ita & dampnum, iuxta conditionem mandati, ad eum qui causam mandauerit reuertatur. Ita vt qui causam ex mandato dixerit, & fideliter vt negotium peragatur, institerit, ab eo mandator nec mandatum repetat, nec ipsam postea ad alium transferat actionem. Quia iniustum valde est, vt mercedem sui laboris amittat, qui pro suscepta causa fideliter elaborasse cognoscitur. Ita vt is qui negotium prosequitur, ante causæ principium cum mandatore definiat, quantum pro commodo sui laboris finito negotio ab eo sit accepturus. Quod si receptam rem prosequatur infra tres menses redere neglexerit mandatori, quicquid de eadem causa pro quacunque definitione cotsequi

sequi potuit perdat, & mandator iudicis instantia rem sibi competentem accipiat.

## VIII. ANTIQVA.

*Vt si mortuus fuerit is qui mandatum accepit, commodum illi debitum heredes eius accipiant.*

**Q**ui mandatum fecit, si mortuus fuerit, antequam causa dicatur, mandatum quod fecerat, non valeat: & qui mandatum suscepit, si antequam causa dicatur fuerit morte præuentus, mandatum nullam habeat firmitatem. Quod si antequam moreretur, causam dixisse dinoscitur, atque per suam instantiam ad fines vsque legitimos perduxisse, & tamen quocunque casu intercedente necdum finita res aut exacta remansit: si ad hunc fortè terminum fuerit causa deducta, quo eam ille qui per mandatum secutus est iam antea accelerauerat, omne lucrum quod ipse fuerat habiturus, heredibus eius à mandatoris partibus exsoluatur.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX:

*Qualibus personis potentes & qualibus pauperes prosequendas actiones iniungant.*

**N**ulli liceat potentiori quàm ipse est qui committit, causam suam vlla ratione committere, vt non æqualis sibi eius possit potentia opprimi vel terreri. Nam etiam si potens cum paupere causam habuerit, & per se asserere noluerit, non aliter quàm æquali pauperi aut fortasse inferiori à potenti poterit causa committi. Pauper verò, si voluerit, tam potenti suam causam debet committere, quàm potens ille est cum quo negotium videtur habere.

X. FLS. CHDS. REX.

*Quòd liceat his quibus commissus est fiscus, pro re fiscali quibuscunque voluerint iniungere rationes.*

**N**ullus quidem rerum fiscalium temerator debet existere. Tamen si quandoquidem pro iure fiscali contra quemlibet prouenerit intentione moueri, ille cui commissa res est, apud comitem ciuitatis vel iudicem habeat decentiam legaliter negotium prosequendi. Quem si absentem à loco vbi res agenda est esse contigerit, vel occasio eum quæcunq; suspenderit, aut etiam per se proponere fortasse noluerit, eandem vtilitatis publicæ actionem per mandatum iniungere prosequendam cui elegerit, sui sit indubitanter arbitrii.

## IIII. TIT.

## DE TESTIBVS ET TESTIMONIIS.

- I. De personis quibus testificari non liceat.
- II. Quod testibus sine sacramento credi non possit: & si vtraque pars proferat testem, cui debeat credi, & si vera testificari neglexerit testis.
- III. De inuestiganda iustitia, si aliud loquatur testis, aliud scriptura.
- IV. Seruo non credendum, & qualibus regis seruis debeat credi.
- V. Ne testes per epistolam testimonium reddant, & qualiter iniungi testimonium possit.
- VI. De his qui falsum testimonium dicunt.
- VII. De his qui falsum probantur testimonium protulisse, vel de spatio sex mensium, quo testem liceat infamare, siue vt super mortuum non liceat testimonium dicere.
- VIII. De his qui ad falsum testimonium dicendum alios prouocant, vel seruos alienos ad libertatem impellunt.
- IIII. In quibus causis possunt testificari serui.
- X. De his qui se placitorum scriptis obligant, ne pro aliorum causis veritatem dicant.
- XI. De quibus annis testificari possunt minores.



XII. *Vt contra extraneos parentela & propinquitat testimonium minimè dicant.*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De personis quibus testificari non liceat.*



Omicidæ, malefici, fures, criminosi, siue venefici, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad fortilegos diuinosque concurrerint, nullatenus erunt ad testimonium admittendi.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quod testibus sine sacramento credi non possit & si vtraque pars proferat testem, cui debeat credi, & si vera testificari neglexerit testis.*

**I**udex causa finita, & sacramento secundum leges, sicut ipse ordinauerit, à testibus dato, iudicium emittat. quia testes sine sacramento testimonium perhibere non possunt. Quod si ab vtraque parte testimonia æqualiter proferantur, discussa prius veritate verborum, quibus magis debeat credi, iudicis æstimabit electio. Certè si ammonitus quisquam à iudice, de re quam nouit testimonium perhibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum etiam iurare distulerit, & per gratiam aut per venalitatem vera suppresserit: si nobilis fuerit, testimonium postea in nullo iudicio dicere permittatur, nec testimonium ipsius recipiatur vltorius. Quod si licet ingenuæ, minoris tamen fuerint dignitatis personæ, & testimonio careant, & centena flagella infamati suscipiant, quia non minor reatus est vera suppressere, quàm falsa confingere.

III. FLS. CHDS. REX.

*De inuestiganda iustitia, si aliud loquatur testis, aliud scriptura.*

**Q**uotiens aliud testis loquitur, quàm ea scriptura continet, in qua ipse subscripsisse dinoscitur; quanuis contra scripturæ textum diuersa verborum à testibus sit impugnation, scripturæ tamen potius constat esse credendum. Quod si testes dixerint, eam quæ offertur scripturam minime roborasse; prolator eius probare debebit, virum ab eisdem testibus scripturam fuisse roboratam constiterit. Et si hoc ipse quibuslibet aliis documentis conuincere fortasse nequuerit, experientia iudicis id requirere sollerter curabit. Ita vt pro manus comprobatione testis ille qui negat, iudice præsentem scribat: qui etiam plus cogatur scribere, vt veritas facilius innotescat. Vbi scilicet hoc omnino quærendum est, vt scripturæ quærantur & præsententur, quas antea fecit siue subscripsit. Et si tota ista † defuerint, tunc conditionibus æditis iurare non differat, quod nequaquam illi subscriptor accesserit. Et si postea quocunque modo patuerit, pro extinguenda veritate mentitum eum fuisse, falsitatis notatus infamia, si honestior persona fuerit, quantum ille perdere potuerat, cuius parti testimonium perhibere contempserit, tantum dupla ei satisfactione compellatur exsoluere. Si certe inferior est persona, & vnde duplam rem dare debeat non habeat; & testimonium amittat, & c. flagellorum ictus extensus accipiat. In duobus autem idoneis testibus, quos prisca legum recipiendos sanxit auctoritas, non solum considerandum est, quam sint idonei genere, hoc est, indubitanter ingenui, sed etiam si sint honestate mentis perspicui, atq; rerum plenitudine opulenti. Nam videtur esse cauendum, ne forte quisque compulsus inopia, dum necessitatem tolerat, præcipitanter periurare non metuat.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Seruo non credendum, & qualibus Regis seruis debeat creari.*

**S**eruo penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut etiam si dominum suum in crimine impetierit. Nam & si etiam in tormentis positus exponat quod obicit, credi tamen illi nullomodo oportebit: exceptis seruis nostris, qui ad hoc regalibus seruitiis mancipantur, vt non immerito Palatinis officiis liberaliter honorentur: id est,

stabu-

Abulariorum, gillonariorum, argentariorum, coquorum quoque præpositi: vel si qui præter hos superiori ordine vel gradu præcedunt. quos tamen omnes & regia potestas iugiter non habet incognitos, & nullis eos esse constat prauitatibus aut criminibus implicatos. Quibus vtrique verà dicendi vel testificandi licentia, sicut & cæteris ingenuis, hac lege conceditur. De reliquis autem ad Palatinum seruitium pertinentibus, quicumque aliquem ad testimonium crediderit aduocandum, non aliter ei fides accommodabitur, nisi regis potestatis electio iusta & honesta permiserit esse credendum, quòd ille à se nouerit esse testificandum.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne testes per epistolam testimonium reddant, & qualiter iniungi testimonium possint.*

TESTES non per epistolam testimonium dicant, sed præsentés quam nouerint non taceant veritatem. Nec de aliis negotiis testimonium dicant, nisi de his tantummodo, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Certè si iidem testes, aut parentes, vel amici, siue ætate decrepiti, vel infirmitate grauari, aut in alia & longinqua provincia constituti, de re quæ ipsis est cognita testimonium aliquibus iniungendum putauerint: & si nõ sint omnes de vno territorio qui testimonium dicendum committunt, in eo tamen territorio, vbi ille commanet qui plus ex his videtur idoneus, congregentur: & ante eiusdem territorii iudicem, vel coram his quos iudex elegerit: & mandatum faciant idoneis ingenuis quibus voluerint, & de quo illis est cognitum per conditionis seriem iurare procurent, qualiter quibus testificandi vicissitudo committitur, id indubitanter vbi necesse fuerit suo sacramento confirmet, quod iurare mandatores suos iustissime & euidentissime per semetipfos audierint. Aliter autem mandatum de talibus negotiis æditum apud omnes iudices erit semper inualidum.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De his qui falsum testimonium dicunt.*

SI quis contra alium falsum testimonium dixerit, & in mendacio inueniatur, aut si imple certè dixerit, quod falsum testimonium dedit: si maior loci persona est, det illi de propria facultate sua, contra quem falsum testimonium dixit, tantum quantum per testimonium eius perdere debuit, & se testificare vltra non nouerit. Quod si minor loci persona est, & non habuerit vnde componat, ipse tradatur in potestatem illius; contra quem falsum testimonium dixerat, seruiturus. Nam omnino per talium testimonium, qui se primitus falsa testificasse prodiderint, causa ipsa reuolui non poterit: excepto si aliter euidentior ordo veritatis claruerit: id est, aut per legitimũ alium & melioratum testem, aut per iustos & legales ordines scripturæ. Quicumque autem vel beneficio corruperit aliquem, vel circumuentione qualibet falsum testimonium dicere per-suaserit, dum euidens huius rei commentum patuerit, tam auctor sceleris qui in interitum intendit alterius, quam is qui rerum auuiditate cupidus testificandi præbuit falsitatis assensum, pari simul sententia vt falsarii teneantur, atque insuper ad aliorum terrorem centenis flagellis, & turpiter decaluati perenni infamiæ subiacebunt.

VII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*De his qui falsum probantur testimonium protulisse: & de spatio sex mensium, quo testem liceat infamare, siue vt super mortuum non liceat testimonium dicere.*

FALSORUM testium obstinata nequitia, nescit habere modum falsa dicendi, sed crimini crimen nititur copulare periurii. Et ideo quia detestandos huiusmodi sceleris præsumptores diuina lex mortis sententia dampnat: illos scilicet, quos contra fratrem suum falsum dixisse testimonium potestas iudiciaria comprobatur: nos proinde tam nefariis personis ausum secundo testificandi subducimus, quos non humanis sed diuinis vocibus iam mortuos approbamus. Et ideo si quis testimonium pro qualibet re in præ-



sentia iudicis dederit, & causa per eius testimonium probata extiterit, si forte in postmodum favore, terrore, vel munere pulsatus illius causidici, qui victus primum per eius testimonium fuit, dicat se idem testis falsum dixisse testimonium quod primitus protulit, & secundo aliud testificare, vnde prima quæ dixerat subvertere velit, stante superiore lege, id nouella tenendum sanctione præcipimus: vt nec testificare illi secundo sit licitum, nec causa ipsa de qua ipse periurus testis ante iurauerat, vltius per eius testimonium reuoluatur: excepto si aliis melioribus & legitimis testibus, siue etiam veridicis scripturis, reuolutio ordinatæ causæ possit accidere, vt secunda determinatione iudicii per alium sicut dictum est testem, vel verissimæ scripturæ ostensionem, licentia sit negotium reparandæ causæ retexere. Nam & si quis causæ suæ cupiens accelerare propositum, testem in iudicio protulerit: si ille contra quem causam habet præfens adfuerit, & quid in reprobatione oblatis testibus opponat, nescire se dixerit; res siquidem ipsa de qua agitur, per oblatorum testium testimonium, in iure illius, à cuius parte testificauerunt, iudicis instantia contradatur. Illi tamen personæ, quæ se in derogatione prolatis testibus, nescire se dixerit quod obicere possit, licentiam consulta pietate porrigimus, qualiter infra sex menses, & vitia ignorati testis perquirat, & causæ suæ negotium reparare intendat. Quod si infra sex menses non potuerit, & vitia prædictorum testium querere & coram iudice eorum infamiam comprobare, transactis sex mensibus, nullum iam ei vltra temporis spatium dabitur, quo aut prolatum testem infamem esse conuincat, aut alium testem pro eadē causa in iudicio proferat: sed quod testimonio eorum extiterit alligatum, valebit perpetuo modis omnibus inconuulsum. Et tamen si is cui licitum est per sex menses vitia testium accusare, legitimam fortasse infra constitutum tempus probationem inuenerit, qua prolatum contra se testem infamem possit conuincere, supra eos quos viuentes potuerit infamare, licitum erit causidico adductum testem producere. Nam si aliquem de numero illorum testium, qui primum iurasse noscuntur, constiterit fuisse defunctum, nullum super mortuum testimonium dabitur. Nec in talibus vel quibuslibet aliis causis testimonium viui super mortuum vilo modo admittetur: excepto si per legitimum & manifestum scripturæ textum, vbi ipse qui defunctus est, aut reum se criminis esse agnoscens subscripsit, aut iusto æquitatis iudicio publice denotatus apparuit. Et hæc quidem de infamatione, qua quisquis ille obnoxius, ad dicendum testimonium non admittatur, dicta sufficiant. Cæterum si debitum defuncti vel præsumptio accusetur, iuxta legem aliam licitum erit causidico, aut per veridicum testem, aut per legitimam scripturam, debitum mortui vel præsumptionem conuincere, & propositum partis suæ negotium consummare.

## VIII. FLS. CHDS. REX.

*De his qui ad falsum testimonium dicendum alios prouocant, vel seruos alienos ad libertatem impellunt.*

SI quis contra hominem ingenuum & aduersus libertum, aliquem prouocasse conuincitur falsum dicere testimonium, tantum illi componat quem per falsam testificationem conabatur addicere vel damnare, quantum, si iuste eum oprinuisset, poterat de statu vel de rebus eius acquirere. Si verò testis simpliciter ab alio ad testimonium inuitatus falsa contra ingenuum atque libertum testificasse dinoscitur, qualiter per eius testimonium in seruitutem quisquam humiliaretur: & tamen ille qui testem protulit conscius fraudis huius non inuenitur, solus testis ipse superiori sententia, id est, sicut ille qui testem ad falsum testimonium prouocauit, ei, quem suo testimonio decipere voluit, obnoxius maneat. Ita vt si non habuerit vnde componat, in potestate eius, cum hoc quod habere videtur, perenniter seruiturus tradatur. Id autem & de illis decernimus obseruandum, qui vt seruos alienos ad libertatem perducerent, aut falsum testimonium dixisse reperiuntur, aut eam intentionem adhibere conati sunt, vt ab eis prouocati per eorum instantiam ad ingenuitatis libertatem indebita possint aliquatenus insultatione venire.

## VIII. FLS. RCHDS. REX.

*In quibus causis possint testificari serui.*

\*facilitas. QVod utilitati multorum est congruum, non est nostræ legis decreto prætermittendum: ne tanto cuiquam pateat nocendi ꝑ facultas, quanto nihil esse putat ex lege quod

quod metuat. Quia ergo multotiens inter ingenuos reperitur exorta cædes, & nullus adesse ingenuus, qui cædis ipsius patefaciat euidenter scelus; adeò si nullus ingenuorum adfuerit, credi seruis omnino oportebit: vt qualiter inter eos cæsis facta constiterit, agnosci eisdem testificantibus possit. Verum quia & interdum iustitiæ cognitio deperit, dum ingenuorum dignitas aut longe posita aut de proximo ignota consistit: tunc credi permittimus seruis, cum ingenui nullatenus adfuerint, qui aut vicini sint, aut de re qua agitur cogniti habeantur. Certè nec de aliis causis, nec de maioribus rebus esse sibi credendum sciant, nisi de minimis quibuscunque rebus, ac de terris aut vineis vel de ædificiis, quæ non grandia esse constiterint, propter quod solet inter heredes aut vicinos possessores † instantia exoriri. Sed & de mancipiis credendum est eis, quare contingit ea vel ab aliis occupari, vel indebitè retineri, aut etiam a dominorum iure inlicitè euagari: vt per eorum veram cognitionem valeant res ipsæ dominis reddi, & ipsorum indubitata notitia iustè possit intentionis causa sopiri. Non tamen illis aliter credi poterit, nisi & ab omni crimine alieni extiterint, & graui oppressi paupertate non fuerint. Ita vt contra ingenuorum dignitatem, eorum testimonium accipi nullatenus possit, nisi, vt supra dictum est, eadem exoriri contigerit.

## X. FLS. CHDS. REX.

*De his qui se placitorum scriptis obligant, ne pro aliorum causis veritatem dicant.*

Plerosque cognouimus, ita se interdum per placitum obligare, vt pro sua suorumque utilitate testificari non differant: si quis autem contra eos habuerit testimonium dicere, nullatenus adquiescant. Quod quia satis est contrarium veritati, hanc omnes iudices se nouerint habere licentia, vt talia commenta instanter inquirant, & inuenta dirumpant: atque quos eadem placita nominauerint, centenis flagellis verberandos instent. Ita tamen vt ista disciplina non ad infamiæ notam eis pertineat; sed testificandi quod cognitum habuerint, sit illis ex lege concessa semper & indubitata libertas.

## XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

*De quibus annis possunt testificari minores.*

Hæc ætas erit constituta in minoribus annis ad testimonium admittenda: vt postquam puer aut puella quatuordecim vitæ suæ annos impleuerint, sit illis in causis omnibus testificandi indubitata licentia.

## XII. ANTIQVA EMENDATAQVE NOVITER.

*Vt contra extraneos parentela & propinquitas testimonium minime dicant.*

FRatres, sorores, vterini, patru, auunculi, materteræ, siue eorum filii: item, nepos, neptis, consobrini, vel amitini, in iudicium aduersus extraneos testimonium dicere non admittantur: nisi forsitan parentes eiusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in causa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

## V. TITVL.

*De scripturis valituris & infirmis, ac defunctorum voluntatibus conscribendis.*

- I. Quales debeant scriptura valere.
- II. De pactis & placitis conseruandis vel conscribendis.
- III. Ne incognitam sibi scripturam quisquam testis subscribere audeat aut firmare.
- IIII. Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.
- V. De dampnis eorum, qui contra pacta & placita sua venire contendunt.
- VI. Ne valeant definitiones vel pacta seruorum sine iussu dominorum.



- VII. *De turpibus & illicitis rebus.*  
 VIII. *Ne sub vnus nomine cause, res aliena vel persona callidis definitionib. obligetur, de pena etiam que sit in placitis inserenda.*  
 VIII. *Quod omnis scriptura vel definitio que per vim & metū extorta fuerit, valere nō poterit.*  
 X. *De superfluis scripturis confectis.*  
 XI. *Quæ scriptura valere poterunt, si ab his facta fuerint, qui sunt in annis minoribus constituti.*  
 XII. *Qualiter confici vel firmari conueniat ultimas hominum voluntates.*  
 XIII. *Qualiter firmentur voluntates eorum qui in itinere moriuntur.*  
 XIII. *Vt defuncti voluntas ante sex menses coram sacerdote vel testibus publicetur.* 10  
 XV. *De comprobatione manuum, si scriptura vertatur in dubium.*  
 XVI. *De olographis scripturis.*  
 XVII. *De comprobatione scripturarum & earum pœna soluenda.*  
 XVIII. *Ne aliud quis per testem, aliud per scripturam alligare præsumat.*  
 XVIII. *Vt nemo deinceps citra fidem regiam vel propria causarum negotia in deceptione regia testatis, vel cuiuslibet alterius, se iuramenti vinculo alligare præsumat.*

I. IN NOVIT. EMD. FLS. CHDS. REX.

*Quales debeant scriptura valere.* 20



Cripturæ quæ diem & annum habuerint euidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ noscuntur, seu conditoris vel testium signis fuerint aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate. Simili quoque & illæ scripturæ valore constabunt, quas & si auctor subscribere ægritudine obfistente non valuit, in eis tamen qui subscriptores accederent postulauit: sicque subscriptionem vel signum ad vicem illius auctoris, ille qui est rogatus impresserit. Hoc tantum est obseruandum, vt si conditor talium scripturarum de hac ipsa ægritudine qua detinebatur reualuerit, si hoc ipsum quod in huiusmodi scripturis testatus est firmum esse voluerit, manu sua illud solita subscriptione corroboret, & sic plenam quod testari visus est obtineat firmitatem. Si autem eundem testatorem de hac ægritudine mori contigerit, testis ipse qui ab eo rogatus accessit, iuxta aliam legem infra sex menses subscriptas a se scripturas roborare curabit.

II. ANTIQVA.

*De pactis & placitis conseruandis vel conscribendis.*

**P**Acta vel placita quæ per scripturam legitimè ac iustissimè facta sunt, dum modo 40 in his dies & annus sit euidenter expressus, nullatenus immutare permittimus.

III.

*Ne incognitam sibi scripturam quisquam testis subscribere audeat aut firmare.*

**Q**uarumlibet scripturarum seriem aduocatus testis, si non aut per se antea legerit, aut coram se legentem audierit, subscribere penitus non audeat. Quod si præsumpserit, testimonium eius quod illic incautè perhibuit, in nullo permittimus accipi: quia 50 incognitos illie subscriptor accessit. Nec stabilis illa iudicabitur scriptura, quam nulla testium firmauerit cognitio vera.

IIII. ANTIQVA. FLS. GLS. EGIGA. REX.

*Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.*

**F**ilio vel heredi contra priorum iustam ac legitimam definitionem venire non liceat. Quia iuste repellitur præsumptio illius, qui facta seniorū iniuste conatur irrupere.

V. FLS. CHDS. REX.

*De dampnis eorum qui contra pacta & placita sua venire contendunt.*

10 **Q**ui contra pactum vel placitum iustè ac legitime conscriptum venerit, quod non forsitan persona potentior violenter extorserit, antequam causa dicatur, pœnam quæ in pacto vel placito legitime continetur exsoluat: deinde quæ sunt in pacto vel placito conscriptum, si etiam pœna in eis incerta non fuerit, reuolui aut immutari nulla ratione permittimus. Et ideo quæ in pactis vel placitis continentur vel monstrantur scripta, plenam habeant firmitatem, si tamen quisquis ille pactum vel placitum iustissime & de re sibi debita conscripisse videatur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne valeant definitiones vel pacta seruorum, sine iussu dominorum.*

20 **E**T honestas hoc habet, & iustitia hoc adfirmat, vt quæ serui non iubentib. dominis, seu per scriptum paciscuntur, siue per testem. definunt, nullo firmo robore penitus <sup>†</sup> definiant, habeantur.

VII. FLS. RCDS. REX.

*De turpibus & illicitis rebus.*

30 **D**E turpibus & illicitis rebus inter quascunque personas, sicut nullum pactum aut mandatum vel placitum, ita nec dampnum nec quancunq; definitionem ex omnibus nullo tempore decernimus posse valere.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Ne sub vnus nomine causæ res alia, vel persona callidis definitionibus obligentur: de pœna etiam qua sit placitis inseranda.*

40 **P**rauis ac malignis moribus improborum iustitiæ semper est sententiis obuiandum. Ideoq; quia dira peruerforum cupiditas ita sæpe plurimos nonarum fraudium molitione conlaqueat: vt cum pro re qualibet adimplenda sit pactio, res eorum simul obligent & personas: hoc fieri omnimodo prohibemus. Sed quotiens vndelibet placitum conscribitur, non amplius in transgressoris pœna, quam duplatio reddendæ rei vel triplatio <sup>†</sup> rerum in satisfactione taxetur: res tamen omnis aut persona nullatenus obligetur. Quia iniustum penitus approbamus, vt vnus causa debiti, rerum fiat omnium perditio vel personæ. Quodcunque igitur contra legis huius decretum, conscriptum placitum siue definitio facta fuerit, vbicunque sit reperta, vacua omnimodis & inualida reputetur. Sola vero potestas regia erit in omnibus libera, qualemcunque iusserit in placitis intere pœnam: <sup>†</sup> *inimicitiam.*

VIII. ANTIQVA. †

† FLS.  
CHDS. R.*Quod omnis scriptura vel definitio quæ per vim & metum extorta fuerit, vale non poterit.*

50 **P**actum quod per vim & metum extorserit persona potentior vel inferior, siue placita vel reliquas scripturas, id est, si ille qui paciscitur, aut in custodia mittitur, aut sub gladio mortem forte timuerit, aut ne pœnas quascunq; vel ignominiam patiat, vel certè si aliquam iniuriam passus fuerit: huiusmodi pactio vel scriptura quælibet nullam habeat firmitatem.



X. FLS. GLS. RCDS. REX.

† *Es super  
ordinem le-  
gis confectis.**De superfluis scripturis † confectis.*

**P**Lenæ discretionis ordo est incertis adhibere cognitionem, & dubiis conuicere fidē. Quia ergo de statu scripturarū solet dubietas in controuersis exoriri: ideo præcepto decernitur euidenti, vt quicumque virū orac feminarum, testamenta, donationes, dotes vel quascunque scripturas conficit, amplius quàm lex iubet, in quibuscunq; partibus siue personis, vel contra sanctionem legis, de quarumcunque rerum distributione decreuerit, non ideo ex toto habeantur inualida, quia ordo præfixus videtur esse transgressus: sed manentibus cunctis, quæ salubrius ex legis auctoritate subsistunt, illa sola decident, quæ contra legem inueniuntur manere descripta atque decreta. Huius rei euidenter iudices negotiorum hoc tenore descripta ordinabunt: vt ille qui plus conficitur per scripturæ seriem quàm oportuit, hoc solum accipiat quod auctoritas legis demonstrat, & reliqua hi quibus legitimè debentur vigore iustitiæ consequantur.

XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Quæ scriptura valere poterunt, si ab his factæ fuerint qui sunt in annis minoribus constituti.*

**I**n minoribus annis constituti, si testari de rebus suis, vel alias quascunque definitiones facere, seu per scripturam, siue per idoneum testem, in quibuscunque personis elegerint, infra quartum decimum annum non illis aliter licentia erit: nisi grauis languor occurrerit, per quē eos fortasse mori suspicio sit. Quod si eos necessitas huius causæ cōpresserit, vt risq; à decimo ætatis ipsorū anno faciendi quod voluerint libertas plena manebit. † Quod si ab ægritudine conualescere potuerint, quicquid eos ordinasse constituerit, totum inualidum erit: donec aut rursus ægrotantes iterum quæ ordinauerant noua ordinatione reforment, aut venientes vsque ad plenum quartum decimum annum in omnibus iudicandi de rebus suis liberam habeant absolutamq; licentiam. Ab infantibus verò vel in qualibet ætate dementes effecti, & in eo vitio absque intermissione temporis permanentes, nec testimonium reddant; nec si quam fortè voluntatem ædiderint, nullā poterit firmitatē habere. Nam † si per interualla temporum vel horarum salutem videntur recipere, & integra interdum mente persistere, de suis ferre iudicium prohiberi non poterunt.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Qualiter confici vel firmari conueniat ultimæ hominum voluntates.*

**M**orientium extrema voluntas, siue sit auctoris & testium manu subscripta, siue vtrarumque partium signis extiterit roborata, seu etiam & si auctor subscribere vel signum facere non præualeat, alium tamen cum legitimis testibus scriptorem vel signatorē ordinationis suæ instituat: siue quoq; si tantummodo verbis corā probatione ordinationis eius qui moritur patuerit promulgata. hæc ordinationum quatuor generæ omni perenniter valore persistant. Id tantum magnopere procurandum est, vt scripturæ illæ, quæ secundum primi & secundi ordinis confectioem sunt alligatæ: id est, siue quæ auctoris & testium manu subscriptæ, seu quæ vtrarumque partium signis extiterint roboratæ, infra sex menses iuxta legem aliam sacerdoti pateant publicandæ. Et si forsitan cōtigerit, vt in huiusmodi scripturis auctor, qui subscribere debuit, signū impresserit; hoc ipsum testis, qui in eadē scriptura subscriptor accessit, iurare curabit, quia signum ipsum à conditore factū extiterit, & tunc stabilis erit. Ille verò scripturæ, quæ sub tertii ordinis alligatione sunt æditæ: id est, in quib. aduocatus à conditore legitimus testis subscripsit, tunc omni habeantur stabiles firmitate, quādo infra sex menses, & ille qui in eadē scriptura ad vicem morientis subscriptor accessit, & reliqui testes qui ab eo rogati sunt, coram iudice cōditionibus factis iurauerint, quod in eadem scriptura à se subscripta nulla sit fraus impressa, sed secundum voluntatem ipsius conditoris habeatur conscripta, & quod ab eo qui eam condere voluit, rogati extitissent, vt in eadē scriptura subscriptores accederent, & ad

& ad vicem conditoris eam legitimè roborarent. Illa verò voluntas defuncti, quæ iuxta quarti ordinis modum verbis tantummodo coram probatione promulgata patuerit, quæ instante quocumque periculo conscribi nequiverit, & tamen ab eo qui moritur iussa fuerit alligari, tunc robur plenissimum optinebit; si testes ipsi, qui hoc audierint & rogati à conditore extiterint, infra sex mensium spatium, hoc quod iniunctum habuerint sua coram iudice iuratione confirmet, eiusdemque iuramenti conditionem tam sua quàm testium manu corroborent. Dumque hæc res plenum venerit in effectum, pro instantia sui laboris, iidem testes ex defuncti bonis † trigestimæ precii portio-  
 nis prosequantur in solis tantummodo nummis, chartarum instrumentis & librorum voluminibus sequestratis, quæ pertinebunt ad heredes integritate successionis. Qui testes infra sex menses procurent illi denunciare, in cuius nomine per talè ordinationem res translata dinoscitur extiisse. Quod si omne legis huius decretum, testes illi quibus commissum est, infra constitutum tempus distulerint adimplere, noverint se † falsorum dampno mulctari: excepto si se aliorum fraude vel calliditate, seu etiam regia iussione, qua id infra sex menses explere nequiverint, impeditos se esse probauerint.

XIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Qualiter firmetur voluntates eorum, qui in itinere moriuntur.*

IN itinere pergens, aut in expeditione publica moriens, si ingenuos secum habeat, voluntatem suam propria manu conscribat. Quod si litteras nescierit, aut per languorem scribere non potuerit, eandem voluntatem seruis insinuet: quorum fidem episcopus atque iudex probare debebunt. Et si nullatenus antea fraudulenti fuisse patuerint, quod sub iuramenti testatione protulerint conscribatur, & sacerdotis atque iudicis subscriptione firmetur; ac postmodum auctoritate regia roboratum, firmum quod decreuerit habeatur.

XIIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Vt defuncti voluntas ante sex menses coram sacerdote vel testibus publicetur.*

SCRIPTA voluntas defuncti, ante sex menses coram quolibet sacerdote vel testibus publicetur. Et si quis eandem qualibet fraude suppresserit, tantum illis, quibus scriptura facta esse dinoscitur, de proprio cogatur exsoluere, quantum per eiusdem scripturæ sectionem conquirere poterant vel habere.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

*De comprobatione manuum, si scriptura vertatur in dubium.*

OMNES scripturæ, quarum auctor & testis defunctus est, in quibus tamē subscriptio vel signum conditoris atque firmitas testium repperitur, dum in audientia prolata extiterint, ex aliis chartarum signis vel subscriptionibus comprobentur: sufficiatque ad firmitatem, vel veritatis huius indaginem agnoscendam, trium vel quatuor scripturarum similis vel evidens prolata subscriptio. Quod si talibus scripturis legum temporæ obuiauerint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt.

XVI. FLS. GLS. RCHDS. REX.

*De olographis scripturis.*

QUIA interdum necessitas ita sæpe concurrit, ut solemnitas legum libere adimpleri non possit: ideo ubi qualitas locorum ita constiterit, ut non inueniantur testes, per quos iuxta legum ordinem vnusquisque suam alliget voluntatem: manu propria scribat ea, quæ ordinare desiderat. ita ut specialiter adnotentur quæcunque ordinare voluerit, vel quæ de rebus suis habere quenque elegerit. Dies quoque & annus habeatur in eis euidenter expressus. Deinde toto scripturæ textu conscripto, rursus auctor ipse subscribat. Et dum hæc scriptura infra xxx. annos, ad eum in cuius nomine facta est vel ad successores eius peruenerit, eam episcopo vel iudici infra sex menses non differat præsentare. Quam sacerdos idem vel iudex allatis sibi met tribus aliis scripturis, in quibus



testatoris subscriptio reperitur, ex earum conprobatione considerent, si certa & euidēs scriptura est quam idem conditor olographa ratione conscripsit: & dum ista præuide-  
rint, eadem chartula quæ offertur, vera nihilominus habeatur: atque etiam continuo sa-  
cerdos ipse vel iudex, siue alii testes idonei, eandem olographam scripturam sua denuo  
subscriptio confirmet, & sic voluntas ipsius testatoris plenissimam obtineat firmi-  
tatem.

XVII. FLS. RCDS. REX.

10

*De conprobatione scripturarum & earum pœna soluenda.*

**S**icuti ubi conuenit miseranter occurrere, salutaria remedia non negamus: ita ubi cō-  
sentio irrationabilis exoritur, censuram ponere iuste debemus. Proinde cum de qui-  
buslibet scripturis parentum, quas tamen iustissime ac legitime de rebus sibi debitis pa-  
tuerit esse conscriptas, fuerit exorta contentio: si ille, cui scriptura profertur, nescire se  
dixerit ipsius scripturæ veritatem, mox prolator ille iurare cogatur, nil fraudis vel læsio-  
nis in ea quandoque aut à se factum esse, aut ab alio quocunque factum omnimodo co-  
gnouisse vel nosse: sed ita manere, sicut auctor eius eam voluit ordinare vel roborare.  
Deinde ille qui eam renuit accipere, cogatur iurare se hanc scripturam veram esse ne-  
scire, nullaque euidenti cognitione sapere, seu ab auctore suo legitime confectam existi-  
tere, neque subscriptionem vel signum auctoris veridicè factum cognoscere. Post hæc  
quærenda ab vtrisque partibus in scriniis domesticis instrumenta chartarum: vt com-  
probatis aliarum scripturarum subscriptionibus atque signis possit agnosci, vtrum ha-  
beat idonea, an reprobetur indigna. Iam tunc si in domesticis scriniis scripturæ aucto-  
ris repertæ non fuerint, ad quarum similitudinem scriptura prolata † formetur; ita de-  
mum ille, qui scripturam profert vbiunque potuerit, alias scripturas auctoris procuret  
inquirere, per quarum similitudinem, scripturam quam profert, veram esse confirmet.  
sicque per talem conuenientiam latenti veritate reperta: nec ille qui scripturam  
profert, in conuincendo eam esse idoneam, ex longinquo testes aduocans, damp-  
na sustineat; nec ille qui hanc contempsit recipere, pœnam scripturæ cogatur implere.  
Quibus ita actis, si ille qui scripturam illam indignam esse contendit, non pro veritatis  
cognitione, sed pro sola commotione partis aduersæ ad conuincendam dignitatem  
scripturæ, & in adducendis testib. & in sustinendis dispendiis laborare fecerit aduersan-  
tem; tunc ipse, qui scripturam profert veram, exhibitis testibus esse idoneam & illæsam  
scripturam adfirmet: ac postea sic ille, qui per contentionē indebitam, in adducendis te-  
stibus laborem intulit aduersanti, pœnam dampni, quam scriptura continet, euideater  
adimpleat. Certè si aut tanta res non est vnde pœnā suppleat, quā auctor eius instituit,  
cùm de rebus suis legitimam iudicium ferret: aut etiam sponte sua hanc ipsam pœnam †  
voluerit implere, rem quæ illi de eiusdem auctoris comperit, iure ei, quem conuexauit  
indebitè, cogatur cessionis ordine dare. Hanc sane legem in solis parentum scripturis  
seruandam esse decernimus: propter quod filios vel nepotes iniusta contentione ab al-  
terutro, aut se, aut extraneorum partes, videmus conuexare. Ista euidenti conditione  
seruata, vt si ex aliis oppositionibus legum eadem scriptura dicitur cōuellenda, vox im-  
pugnantis pro certo sit libera.

XVIII. FLS. GLS. EGIGA. REX.

*Ne aliud quis per testem aliud per scripturam alligare præsumat.*

**C**vm siue sint verba, siue scripturarum quædam indicia, quæ tamen vera esse oper-  
teat atque simplicia, per quæ vnus in alterius cognitionem transferat notitiam su-  
am: nouellis nunc peragitur argumentis, vt in donationibus & transactionibus scriptu-  
rarum prompta videatur quorundam donatorum voluntas, quæ tamen testibus aliud  
alliget occulte, quam quod patule per scripturæ seriem noscitur definisse. In qua bifari-  
æ duplicitatis astutia quid aliud quam duplex comprobatur voluntas? Quia simpli-  
citatibus puritate exclusa, aliud foris publicat, aliud per occultum alligat testem. Qua-  
propter cum quisquis de quibuslibet rebus, scripturam donationis, vel venditionis in  
alterius faciens nomine, aliud reperiatur conligare per testem, quàm quod per mani-  
festam scripturam cognoscitur definisse: nouerit se parti illi pœnam scripturæ persol-  
uere, cui circumuentione callida noscitur illulisse, & insuper cum infamia suæ personæ  
quod semel eum constat dedisse, nulla vnquam poterit repetitione reposcere. Nec tes-  
tis

tis

Itis illic ad testificandum aliud admittatur, qui aliquid aliud protestetur, quam quod prolata donatoris scriptura testatur: vt repulsa deinceps omni argumentationis sollicitudine, quicquid per manifestam & legitimam scripturarum seriem definitur, nulla vquam sub ordinati testis machinatione deuocetur in irritum. Et hæc quidem lex inter æquales gradu vel ordine promulgata seruabitur. Ceterum si eiusdem potestatis atque conditionis sit ille, qui scripturam se accepisse obiecerit, vt potius exacta ab eo quam oblata ei scriptura credatur, quicquid de huiusmodi occasionibus ab auctore scripturæ conuinci poterit, tunc & ipsa scriptura inualida erit, & res in donatoris iura possessione ratransibit.

## XIX. FLS. EGIGA REX.

*Vt nemo deinceps citra fidem regiam vel propria causarum negotia in deceptione regie potestatis, vel cuiuslibet alterius, se iuramenti vinculo alligare presumat.*

Plerumque solet humani generis inimicus prauis corda hominum suggestionibus irretire, & fidelium animos pestifero veneni poculo fauciare. Proinde quia quanto plebs regie celsitudinis culmen sincera debet reuerentia honorare, tanto amplius vel in eius deceptione, vel aliarum personarum, videtur mentes plebium excitare. Quidam enim dum sententiam illam canonis Toletani attendunt, in qua decretum est neminem licere, citra manifeste euidentiam culpæ induci ab honore sui ordinis, vel seruitio domus regie deici, & nec antea vinculorum nexibus iligari, vel quæstionibus subdi, nisi prius in publica fuerint examinatione deducti, subtili se quodammodo iuramento in necem vel abiectiorem regiam perfidiæ nituntur fraudibus alligare: ne ea quæ fraudis moliantur peragenda consiliis, ab alterutro cernantur quandoquidem propalari. Quod & temporibus nostris detectum facinus, manifestis eorum confessionibus retinetur, qui nostram gloriam conati sunt, aut gladio interimere, aut mortifera veneni potione decipere. His igitur nefariæ argumentationis consiliis congruit obuiare censuris legalibus: quout nec principalis honor qualibet possit † grauitate deuolui, & infidelium pectora condigna debeant ultione retundi. Vnde speciali edicto decernimus, vt nemo deinceps citra fidem regiam vel propria causarum negotia secum alio presumat vinculis nequere iuramenti, aut in deceptione potestatis regie vel cuiuslibet alterius tam sceleratæ fraudis audeat actione constringi. Si quis vero amodo aliter, quam præmissum est, huiusmodi iuramento se alligare presumpserit, illius se nouerit legis perculi sanctione, quæ perfidis noscitur & contra regem agentibus promulgata existere.

† sapientia

## DE ORDINE CONIUGALI

### LIBER TERTIVS.

## Titulus I.

## DE DISPOSITIONIBVS NVPTIARVM.

- i. *Vt tam Gotho Romanam, quàm Romano Gotham matrimonio liceat sociari.*
- ii. *Si puella contra voluntatem patris alio nubat, quæ sit alteri disponata.*
- iii. *De non renouandis datis arris.*
- iiii. *Ne viris minoris ætatis maioris femina disponantur, & de biennio placiti.*
- v. *De quantitate rerum conscribendæ dotis.*
- vi. *Vt dotem puella pater exigat atque conseruet.*
- vii. *Vt patre mortuo vtriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat.*
- viii. *Si fratres nuptias puella differant, aut si puella impudicè nuptias presumat.*
- iiii. *Ne sine dote coniugium fiat, & vt de quibuscunque rebus dos conscripta fuerit, firmitatem optineat.*



*Vt tam Gotho Romanam, quam Romano Gotham matrimonio liceat sociari.*



Ollicita cura in principe esse dinoscitur, cum pro futuris vtilitatibus beneficia populorum prouidentur. Nec parum exultare debet libertas ingenita, cum fractas vires habuerit prisca legis abolita sententia; quæ incongruè diuidere maluit personas in coniuges, quam dignitas compares æquauerit in genere. Ob hoc meliori proposito salubriter censentes, prisca legis remota sententia hac in perpetuum valitura lege sancimus: vt tam Gothus Romanam quam etiam Gotham Romanus, si sibi coniugem habere voluerit, præmissa petitione, dignissima, facultas eis nubendi subiaceat: liberumque sit libero, liberam, quam voluerit honesta coniunctione consulta perquirèdo, pro sapia solemniter consensu comite permittente, percipere coniugem.

## II. ANTIQVA.

*Si puella contra voluntatem patris alio nubat, quæ sit alteri sponsata.*

SI quis puellam cum voluntate patris, aut aliorum propinquorum parentum, quibus sex lege huiusmodi potestas tribuitur, sponsatam habuerit: & ipsa puella contempnens voluntatem parentum, ad aliam tendens parentibus contradicat, vt illi non detur cui à parentibus fuerit pacta: hoc ita eam nullo modo facere permittimus. Quod si ipsa puella contra voluntatem parentum, ad alium quem ipsa cupierat fortè peruenerit, & ipse eam uxorem habere fortè presumpserit: ambo in potestate eius tradantur, qui eam cum voluntate parentum sponsam habuerit. Et si fratres vel mater eius aut alii parentes malæ voluntati eius cõsenserint, vt eam illi traderent, quæ ipsa sibi contra paternam vel parentum voluntatem cupierat, & hoc ad effectum perduxerint: illi, qui hoc machinauerunt, libram auri dent, cui Rex iusserit: sic tamen vt voluntas eorum non habeat firmitatem; sed ipsi, sicut superius diximus, ambo tradantur cum omni substantia sua illi cui antea fuerat sponsata. Eandem legem præcipimus custodiri, si pater de filia nuptiis definierit, & de pretio conuenerit. Ac si ab hac vita transierit, antequam eam pater suus nuptui tradat, vt illi puella tradatur, cui à patre vel a matre pacta constiterit.

## III. FLS. CHDS. REX.

*De non reuocandis datis arris.*

DVm præteritorum facta recolimus, futuris ponere præsumptionibus terminum conuulsissimum arbitramur. Quia ergo sunt plerique, qui factæ sponsonis immemores, nuptialium fœderum definitionem differant adimplere, abrogare decet huius rei licentiam, vt non vnusquisq; pro suo velle, alteri dilationem exhibeat. Ideoque à die huius legis late decernimus, vt cum inter eos qui disponendi sunt, siue inter eorum parentes aut fortasse propinquos, pro filiorum nuptiis coram testibus præcesserit definitio, & anulus arrarum nomine datus fuerit vel acceptus, quamuis scripturæ non intercurrant, nullatenus promissio violetur, cum qua datus est anulus, & definitio facta coram testibus. Nec liceat vni parti suam immutare aliquatenus voluntatem, si pars altera præbere consensum noluerit, sed secundum legum ordinem, altera constitutione dotis impleta, nuptiarum inter eos peragatur festi celebritas.

## IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne viri minoris ætatis maioribus feminis disponantur, & de biennio placiti.*

IUS naturæ tunc directum in spem procreationis futuræ transmittitur, quado nuptiarum fœdus totius solemnitatis concordia ordinatur. Nam si aut ætate aut personarum incomperenti conditione adnectitur copula nuptialis, quid restat in procreationis origine, nisi vt quod nasciturum est, aut dissimile maneat aut deforme? Nec enim poterit in pacis concordia nasci, quod per discordiam originis noscitur seminari. Videmus enim quosdam non auidos amore naturæ, sed illectos cupiditatis ardore, filiis suis tam inordinate disponere fœdera nuptiarum, vt in eorum actis nec ætate concors sit ordo nec mori-

moribus. Nam cum viris res illa dederit nomen quod in feminas agant, isti per repugnā-  
 tionem naturæ conamina maribus puellas anteponunt, dum infantibus adulescentulas di-  
 sponationis copula coniungunt. sicque per ætatis præposteræ tempus, honestatis lucrū  
 dilabi cogunt ad impudicitie lapsum, dum puellarum audior & maxima ætas seros tar-  
 dosq; virorum contempnit expectare proventus. Vt ergo malè ordinata propagatio ge-  
 neris in ordinem transductionibus reducat illicitis, huius sanctione decernitur legis,  
 ut feminæ minoris semper ætatis viris maioribus in matrimonio disponantur. Aliter  
 disponatio facta, si vna pars contradicere videatur, nullo modo manere iubetur. A die  
 verò sponsonis vsq; ad nuptiarū diē non amplius quàm biennio expectetur: nisi aut co-  
 gnationis vel certè sponforū ipsorū, si perfectè sint iā ætatis, honesta & cōueniēs adfuerit  
 cōsensus voluntatis. Si autē in hoc fœdere inita pacta vel definitiones pro elongatione  
 nuptiarum communis voluntas immutare† decreuerit, aut si per necessitatem vna per-  
 sona defuerit, non amplius quàm duorum annorum tempus prolongatio continebit. Et  
 si rursus vel quotiens fieri † non conuenerit, biennii tantum in definitione spatium erit. † ita.  
 Aliter quandoque aut arrarum aut scripturæ celebrata confectio non valebit. Si quis  
 autem constitutum definitionis tempus absque necessitate vel voluntatis consentione  
 implere distulerit, suamque voluntatem à promissione coniugali remouerit, & pœnam  
 quæ in placito continetur adimpleat, & quod definitum est immutare non liceat. Mu-  
 lierem autem, quam constiterit aut vnum aut plures habuisse maritos, post eorum viro-  
 rum obitum, alii ei quem vnus vel plurimarum coniugum vita distribuit, honestè ac  
 legaliter nubere nullatenus illicitum est.

V. FLS. CHDS. REX.

*De quantitate rerum conscribendæ dotis.*

Cum de dotibus diuersa sæpe inter nubentes oriatur intentio, plurimorum sit vtili-  
 tati consultum, si euidentis huius rei institutio nihil vltra relinquat ambiguum. De-  
 cernimus igitur, ac legis huius perpetim seruatura sanctione censemus: vt quicumque  
 ex Palatii nostri primatibus vel senioribus gentis Gothorum filiam alterius vel cuiusli-  
 bet relictam, seu sibi seu filio suo poposcerit in coniugio copulandam, seu quisquis ex  
 prædictorum ordine vxorem sibi elegerit expetendam, non amplius vnusquisque in  
 puellæ vel mulieris nomine dotis titulo conferat vel conscribat, quam quod decimam  
 partem rerum suarum esse constiterit. Quod si contigerit, vt quicumque parentum pro  
 filio suo, in nurus suæ nomine, dotem conscribere debeat: eodem modo de eo, quod  
 eidem filio post obitum parentum suorum in portione euenire poterat, decimam exin-  
 de partem per dotis titulum conferat, quod mulier vel puella nuptiis traditura optineat.  
 Atque insuper decem pueros decemque puellas & caballos xxx. seu in ornamentis quā-  
 tum mille solidorum valere summam constiterit, sit illi conscribendi dandique cōces-  
 salibertas. Ita vt de his omnibus rebus in coniugio mulier assumpta, si non reliquerit  
 filios, facere quod voluerit liberam se nouerit habere licentiam: aut si intestata disces-  
 serit, ad maritum, aut ad propinquos mariti heredes eadem donatio redeat. Nec erit  
 vltra licitum puellæ parentibus, seu etiam puellæ vel mulieri, ab sponso vel ab sponsi  
 parentibus plus quicquam petere, vel in suo nomine conscribendum optare, nisi quan-  
 tum nunc legis huius institutio continet. Aut si fortè iuxta quod & legibus Romanis  
 recolimus fuisse decretum, tantum puella vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit,  
 quantum sibi ipsa dari poposcerit. Quod si forsitan præuentus sponso scripturæ alicui-  
 us vel sacramenti vinculo nuptiarum tempore alligetur, amplius se sponsæ daturum,  
 quam quod hac lege constat esse permixtum, id postea ipse conuellere, & in iuris sui  
 potestatem reducere, libero potietur arbitrio. Si autem iuramenti reuerentia pauidus,  
 aut vt assolet negligentia deditus, quod amplius sponsæ dederat revocare aut euacuare  
 noluerit vel nequuerit, non oportebit vnus tepiditate multis ad futurum damna nu-  
 triri. Sed dum sponsi parentes vel propinqui tale factum agnouerint, vniuersaque, plus  
 quam supra taxatum est, sponsæ conlata sunt, suo iuri absque cuiusquā præiudicio per-  
 cenniter vindicabunt. Certè si iam vir vxorem habens, transacto scilicet anno, pro di-  
 lectione vel merito coniugalis obsequii, ei aliquid donare elegerit, licentiam incun-  
 ctanter habebit. Nam non aliter infra anni circulum maritus in vxorem, seu mulier in  
 maritum excepta dote, vt prædictum est, aliam donationem conscribere poterint, nisi  
 grauari infirmitate periculum sibi mortis imminere perspexerint. De cæteris vero qui  
 nubendi voluntatem habuerint, salubri etiam proposito prouidendum decernendum.



que curauimus: vt qui in rebus omnibus decem millium solidorum dominus esse dinoscitur, ad mille solidos rerum vniuersarum comprobatione habita, in nomine sponsæ suæ dotem conscribat. Cui autem mille solidorum facultas est, de centum solidis talia de ratione dotem facturum est. & sic ista constitutio dotalis tituli ab vltima vsque ad summam omni controuersia sopita perueniat. Data & confirmata hæc lex pridie Idus Ianuarii, anno feliciter tertio regni nostri, in dei nomine Toletio.

## VI. ANTIQVA.

*Vt dotem puella pater exigat & conseruet.*

**D**Orem puellæ traditam pater exigendi vel conseruandi ipsi puellæ habeat potestatem. Quod si pater aut mater defuerint, tunc fratres, vel proximi parentes, dotem quam susceperint, ipsi consorori suæ ad integrum restituant.

## VII. ANTIQVA.

*Vt patre mortuo, vtriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat.*

**P**atre mortuo, vtriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat. Matre vero mortua, aut si ad alias nuptias forte transierit, fratres eligant cui dignius puer vel puella iungatur. Quod si fratres eius ætatis non fuerint, vt eorum iudicio debeat germanus aut germana committi; tunc patruus de coniunctione eorum habeat potestatem. Certe si germanus iam adulescentiæ habet ætatem, & proximorum renuit sollicitudinem, sit illi potestas condignam sibi coniunctionis quærere copulam. De puella vero, si ad petitionem ipsius, is qui natalibus eius videtur æqualis accesserit petitor, tunc patruus siue fratres cum proximis parentibus conloquantur, si velit suscipere petitorum: vt aut communi voluntate iungatur, aut omnium iudicio denegetur.

## VIII. ANTIQVA.

*Si fratres nuptias puellæ differant, aut si puella impudicè nuptias præsumat.*

**S**i fratres nuptias puellæ sub ea conditione suspendant, vt ad maritum illa confugere, & bis aut tertio remouerint petitorum: puella quia fratrum calliditate perspecta maritum natalibus suis æqualem crediderit expetendum, tunc integram à fratribus, quæ ei de parentum hæreditate debetur, percipiat portionem. Quod si rursum nil fratres contra sororem meditentur aduersum, & idcirco morentur vt sorori prouideant digniorem; & illa honestatis suæ oblita, personæ suæ non cogitans statum, ad inferiorem forte maritum deuenit: portionem suam, siue diuisam siue non diuisam, quam de facultate parentum fuerat consequuta vel consequutura, amittat. In fratrum vero & sororum & aliorum parentum hæreditatem ingrediendi ei concedimus potestatem.

## VIII. FLI. RCDI. REX.

*Ne sine dote coniugum fiat, & vt de quibuscunque rebus dos conscripta fuerit firmitatem optineat.*

**N**uptiarum opus in hoc dinoscitur habere dignitatis nobile decus, si dotalium scripturarum hoc euidenter præcesserit manus. Nam vbi dos nec data est nec conscripta, quod testimonium esse poterit, in hoc coniugio dignitatem futuram: quando nec coniunctionem celebratam publica roborat dignitas, nec dotalium tabularum hanc comitatur honestas? Proinde cum quisquis aut pro se, aut pro filio, aut etiam proximo suo coniunctionis copulam appetit: aut de rebus propriis, aut de principum dono conlatis, aut de quibuscunque iustis profligationibus conquisitis iuxta modum legis datæ conscribendi dotem habeat potestatem. Quodcunque autem legitime in dote conscripserit, modis omnibus plenum robur habebit.

## II. Titul.

## DE NVPTIIS INLICITIS.

- i. Si post mortem mariti infra annum mulier nubat.
- ii. Si mulier ingenua seruo vel liberto proprio sese coniungat vel commisceat.
- iii. Si mulier ingenua seruo alieno, seu ingenuus ancilla aliena sese coniungat.
- iiii. Si mulier liberta seruo alieno, vel libertus ancilla se societ.

- V. *Si quicumque seruo alieno ancillam suam, vel seruo suo alienam coniungat ancillam.*  
 VI. *Si mulier absente viro alium sibi maritum assumat.*  
 VII. *Si dominat seruos suos esse mentientes ingenuos, mulieribus eos coniungat ingenuis.*  
 VIII. *Si absque voluntate parentum mulier ingenua marito sese coniungat ingenuo.*

## I. ANTIQVA.

*Si post mortem mariti infra annum mulier nubat.*

**S**I qua mulier, post mortem mariti sui, se cum alio infra annum coniunxerit, vel adulterium fecerit, medietatem rerum suarum filii sui ex priori coniugio procreati recipiant. Aut si filii defunt; alii propinquiotes heredes defuncti viri per iudicis instantiam, ipsarum rerum consequantur medietatem. Quam idcirco mulierem præcipue huic volumus subiaccere dispendio: ne hæc quæ à marito gruida relinquatur, dum immoderato desiderio ad secundi coniugii vota festinat, vel adulterium perpetrat, spem partus sui priusquam nascatur extingat. Illas tantumdem à legis huius sententia iubemus manere indempnes, quas principalis auctoritas, infra tempus hac lege constitutum, cuilibet in coniugio decreuerit copulandas.

## II. ANTIQVA.

*Si mulier ingenua seruo vel liberto proprio sese coniungat vel commisceat.*

**S**I mulier ingenua seruo suo vel proprio liberto se in adulterio commiscuerit, aut fornicat eum maritum habere voluerit, & ex hoc manifesta probatione convincitur, occidatur. Ita vt adulter & adultera ante iudicem publice fastigentur & ignibus concrementur. Cuius autem per reatum tam turpis admitti, quicumque iudex in quacunque regni nostri prouincia constitutus, agnouerit dominam seruo suo siue patronam liberto fuisse coniunctam, eos separare non differat: ita vt bona eiusdem mulieris, aut si sunt de alio viro, idonei filii euidenter obtineant, aut propinquis eius legali successione proficiant. Quod si vsque ad tertium gradum defecerint heredes, tunc omnia fiscus usurpet. ex tali enim confortio filios procreatos constitui non oportet heredes. Illa verò, seu virgo siue vidua fuerit, poenam excipiat superius comprehensam. Quod si ad altaria sancta confugerit, donetur à Rege, cuiussum fuerit perenniter seruitura.

## III. ANTIQVA.

*Si mulier ingenua seruo alieno, seu ingenuus ancilla aliena sese coniungat.*

**S**I mulier ingenua seruo alieno, siue Regis se in matrimonio sociauerit, siue etiam per adulterium iungere præsumperit; statim vbi primum hoc iudex agnouerit, eos ad separandum festinare non differat, vt poenam quam merentur excipiant. hoc est singuli eorum centena flagella suscipiant. Et si post hanc contradictionem se iterum coniunxerint, eos iudex comprehendi iubeat, & in sua præsentia exhiberi: vt vnicuique eorum iteratim centena flagella imponere non desistat. Quod si tertia vice se separare noluerint, similiter centena flagella eis imponi iubemus, & ipsa mulier parentibus suis in potestate tradatur. Quod si postmodum eam parentes retorsum dimiserint, sit ancilla domino eius serui. Filii tamen & quodcumque & quanticumque, qui ex ea iniquitate fuerint procreati, conditionem patris sequantur, vt in seruitio permaneant. Facultatem verò mulieris propinqui sui legali successione conquirant. Quod si hi qui de tali contubernio extiterint geniti, per triginta annos per testem legitimum se ingenuos mansisse docuerint, à seruitutis cathena soluti, ingenuitatis se gaudeant titulo decorari. Si tamen parentes illorum infra illud tricennium, quo filii ipsorum se ingenui esse probauerint, nihil de conditione seruitutis dominis suis persoluerint, vnde ipsi filii eorum videantur obnoxii seruituti, ipsam autem legem præcepimus custodiri. Et de viris ingenuis, qui regias ancillas, vel etiam cuiuscunque habuerint copulatas conditionis, vt hæc forma seruetur.

## IV. ANTIQVA.

*Si mulier liberta seruo alieno, vel libertus ancilla se societ.*

**S**I mulier liberta seruo alieno sese coniunxerit, aut in matrimonio sociauerit, contestetur ei tertio dominus serui, præsentibus tribus testibus, vt ab hac coniunctione discedat. Et post trinam commonitionem vel contestationem, si se separare noluerit, sit



ancilla domino eius, cuius seruo se coniunxit. Si verò non contestata fuerit, antequam filii nascantur, illa in libertate permaneat. Agnatio autem serui domino deputeretur: quia liberi esse non possunt, qui ex tali conditione nascuntur. Similis & de manumissis viris, qui se cum ancillis alienis miscuerint, huius legis forma seruetur. Nam si cum domini voluntate & permissione seruo alieno manumissa se forte coniunxerit, & cum ipso domino serui placitum fecerit, omnino placitum ipsius iubemus stare.

V. FLS. GLS. RCHDS. REX.

*Si quicumque seruo alieno ancillam suam, vel seruo suo alienam coniungat ancillam.*

**Q**uicumque ancillam suam seruo alieno sine conscientia domini sui uxorem dederit, & hoc certis probationibus inueniatur; dominus serui ancillam ipsam cum filiis sibi omnimodis vindicabit. Similiter & de illis ordinamus qui seruo suo ancillam alienam coniunxerint, ut conditionis hæc forma seruetur.

VI. ANTIQVA.

*Si mulier absente viro suo alium sibi maritum assumat.*

**N**ulla mulier absente viro suo, alteri viro se præsumat coniungere, usque dum de viro suo certis cognoscat indicis si verè mortuus fuerit. Quòd similiter & ille inquirat, qui eam sibi vult in coniugio copulare. Si verò hoc facere distulerint, & sic se illicita præsumptione coniunxerint, & postmodum prior maritus reuersus fuerit, ambo in eius potestate tradantur: ut quid de eis facere voluerit, seu vendendi, siue quid aliud faciendi, habeat potestatem.

VII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Si dominus seruos esse mentientes ingenuos mulieribus eos coniungat ingenuis.*

**R**esistendum est prauorum ausibus, ne prauitatis amplius frena laxentur. Plerique enim studio cupiditatis illecti solent interdum mulieres ingenuas puellasque prauè decipere, & simulantes ad tempus seruos suos esse ingenuos, hortantur eas maritos illos accipere, quos postea natis prolibus in seruitutem facile possunt redigere. Ut ergo fraudis huius aditus extirpetur, præsentis iugiter mansura lege sancimus: ut deceptores rei istius manifestè detecti crimine notentur infamix & illi quos sub nomine ingenuitatis antedictis personis repperiuntur associasse, sic ingenui cum filiis suis perenniter manent, sicut eos ipsorum domini ingenuos professi iam antea fuerant. Sed & res omnes à tempore nuptiarum acceptas seu promissas, mulier vel puella sibi vindicabit, si per idoneam probationem conuicerit, maritum de quo agitur sub ingenuitatis spe sibi sociatum fuisse. Certè si puella vel mulier, aut etiam ipsorum parentes, id quod prædictum est, ita factum approbare nequiverint, seruos pariter & eorum filios vnà cum rebus omnibus indubitanter petitor optinebit. Hic & de illis ancillis ordo seruandus est, quæ viris ingenuis tali noscuntur fraude esse coniunctæ. Nam & de libertis, quos ita constiterit copulatos existere cum ancillis aut seruis, huius seruanda erit sanctio legis.

VIII. ANTIQVA.

*Si absque voluntate parentum mulier ingenua marito sese coniungat ingenuo.*

**S**i puella ingenua ad quemlibet ingenuum venerit ea conditione, ut cum sibi maritum acquirat, prius cum puellæ parentibus conloquatur: & si obtinuerit, ut eam uxorem habere possit, precium dotis parentibus eius, ut iustum est, impleatur. Si verò hoc non potuerit optinere, puella in parentum potestate consistat. Quòd si absque cognitione & consensu parentum eadem puella sponte fuerit viro coniuncta, & eam parentes in gratiam recipere noluerint; mulier cum fratribus suis in facultate parentum non succedat, pro eo quòd sine voluntate parentum transierit pronior ad maritum. Nam de rebus suis si aliquid ei parentes donare voluerint, habeant potestatem. Ipsa quoque de donatis & proficatis rebus, faciendi quod voluerit libertatem habeat.

III. TITVL.

## DE RAPTV VIRGINVM VEL VIDVARVM.

1. *Si ingenuus ingenuam rapiat mulierem licet illa virginitatem perdat, iste tamen illi coniungi non valeat.*

- II. *Si à potestate raptoris, puellam parentes eripere potuerint.*  
 III. *Si consentiant raptori parentes de dispensata puella.*  
 IV. *Si fratres, viuo aut defuncto patre, consentiant raptori sororis.*  
 V. *Si quisquam rapiat alienam sponsam.*  
 VI. *Si quisquam de raptoribus occidatur.*  
 VII. *Intra quod tempus liceat accusare raptorem, & si parentibus vel puella cum raptore de nuptiarum definitione conueniat.*  
 VIII. *Si serui mulierem ingenuam rapuerint.*  
 VIII. *Si seruus mulierem libertati traditam rapuerit.*  
 X. *Si seruus ancillam alterius rapuerit.*  
 XI. *De sollicitatoribus filiarum & vxorum alienarum vel etiam viduarum, ac de his, qui puellam aut viduam ingenuam, absque regio iussu, violenter dare marito præsumpserint.*  
 XII. *De ingenuis atque seruis, quos in raptu interesse constiterit.*

## I. ANTIQVA.

*Si ingenuus ingenuam rapiat mulierem, licet illa virginitatem perdat, iste tamen illi coniungi non valeat.*

**S**iquis ingenuus rapuerit virginem vel viduam: si, antequam integritatem virginitatis aut castitatis amittat, puella vel vidua potuerit à raptu reuocari, medietatem rerum suarum ille qui rapuit perdat, ei quam rapuerit consignandam. Si verò ad immunditiam quam voluerit raptor potuerit peruenire, in coniugio puellæ vel viduæ mulieris quam rapuerit per nullam compositionem iungatur; sed cum omnibus rebus suis tradatur ei cui violentus fuit, & denuitatis suæ statu, parentibus eiusdem cui violentus extiterit, aut ipsi virgini vel viduæ quam rapuerit, in perpetuum seruiturus: ita vt ad eius quam rapuerat coniugium nullo vnquam tempore redeat. Quòd si factum fortasse constiterit, quicquid de raptoris rebus pro contumelia sua perceperat, vnà cum ipso raptore amittat, illis proculdubio parentalibus profutura, quorum hoc negotium fuerit exequutum instantia. Quòd si vir de in eius quam rapuit seruiturus potestate tradatur. Res tamen raptoris, filii eius legitimi optinebunt.

## II. ANTIQVA.

*Si à potestate raptoris puellam parentes eripere potuerint.*

**S**i parentes mulierem vel puellam raptam excusserint, ipse raptor parentibus eiusdem mulieris vel puellæ in potestate tradatur, & ipsi mulieri penitus non liceat ad eundem virum se coniungere. Quòd si facere præsumpserit, ambo morti tradantur. Si certè ad episcopum vel altaria sancta confugerint, vita concessa omnimodis separentur, & parentibus raptæ seruituri tradantur.

## III. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si consentiant raptori parentes de dispensata puella.*

**S**i parentes raptori consenserint, pretium filix suæ quod cum priore sponso definisse noscitur, in quadruplum eidem sponso cogantur exsoluere. Idem verò raptor legibus sponso inexcusabiliter maneat abdicatus.

## IIII.

*Si fratres, viuo aut defuncto patre, consentiant raptori sororis.*

**S**i viuo patre fratres raptori consenserint, aut in raptu sororis conscii conprobantur, excepta morte, dampnum quod de raptoribus est constitutum excipiant. Si verò post obitum patris fratres sororem suam raptori tradiderint, vel raptori leuandam consenserint, pro eo quod eam vel vili personæ, vel contra voluntatem suam nuptui tradiderint, cuius etiam honorem debuerant exaltare, medietatem facultatis suæ amittant, ipsi nihilominus sorori tradendam: & insuper in præsentia aliorum à iudice quinquagena flagella suscipiant, vt hoc alii terrore commoti formident. Adiutores verò raptoris qui cum ipso fuerint, disciplinam accipiant, sicut est in lege alia constitutum. Raptor



autem inexcusabiliter superiori lege, & in rebus, & in status sui dignitate dampnetur.

## V. ANTIQVA.

*Si quicumque rapiat alienam sponfam.*

**S** alienam sponfam quicumque rapuerit, de raptoris ipsius facultatibus medietatem puellæ, aliam vero medietatem sponso iubemus addici. Quod si minimam aut nullam habeat facultatem, is quem supra memorauimus, cum omnibus quæ habuerit tradatur ad integrum: ita ut venundato raptore de eius pretio æquales habeant portiones. Ipse autem raptor, si peractum scelus est, puniatur.

## VI. ANTIQVA.

*Si quispiam de raptoribus occidatur.*

**S**i quispiam de raptoribus fuerit occisus, illic qui percussit ad homicidium non teneatur, quod pro defendenda castitate commissum est.

## VII. ANTIQVA.

*Infra quod tempus liceat accusare raptorem, & si parentibus vel puella cum raptore conueniat.*

**R**aptorem virginis vel viduæ infra xxx. annos omnino liceat accusare. Quod si cum puellæ parentibus, siue cum eadem puella vel vidua, de nuptiis fortasse conuenierit, inter se agendi licentia negari non poterit. Transactis autem triginta annis omnis accusatio sopita manebit.

## VIII. FLS. CHDS. REX.

*Si serui mulierem ingenuam rapuerint.*

**A**equitatis opportunitas exigit legem ponere sequuturis, vnde dubitationis occasio inter præsentis occurrit. Serui igitur si sciente domino vel iubente raptum facere præsumperint, ad omnem legalem satisfactionem seruorum domini iudicis instantia compellendus est. Quod si extra voluntatem domini, serui talia perpetraverint, iudicis † idem sententia comprehensi, ac decaluationis foeditate mulctati, trecentenis insuper singuli flagellorum ictibus verberentur. Ille tamen seruus, qui ingenuæ mulieri per rapinam copulari quæsiuit, pœnali sententiæ subiacebit.

† eiusdem instantia.

## VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si seruus mulierem libertati traditam rapuerit.*

**S**i seruus libertam rapuisse detegitur, quoniam iam non vnius conditionis esse noscitur, ideo, si idoneus seruus est, qui talia commisisse detegitur, & idoneam libertam rapuisse inuenitur: si voluerit dominus eius, c. solidos pro eo componat: si certe noluerit, eundem seruum tradere non desistat, ita ut ipsi mulieri ultra non liceat eundem raptorem sibi in coniugio copulare. Quod si ad eius aliquando coniugium venerit, & filii exinde fuerint procreati, dominus ille, cuius seruus rapti crimen admiserat, & seruū & agnationem sibi vindicet seruituram. Sin autem rusticus aut vilissimus seruus esse noscatur, & similem libertam rapuisse cognoscitur; quantum ipsum seruum valere confiterit, tantum pretium domini serui prædictæ mulieri persolvere procurabit. Ipse verò seruus, centenis flagellorum ictibus verberatus, ac turpiter decaluatus, in potestate domini sui erit perpetim permanens.

## X. FLS. CHDS. REX.

*Si seruus ancillam aliterius rapuerit.*

**S**i seruus ancillam iuris alieni rapuerit, ducentorum flagellorum verberibus cæsus ac decaluatus; ab ancilla etiam, si dominus ancillæ voluerit, absque dubio separatur.

## XI. FLS. CHDS. REX.

*De sollicitatoribus filiarum & vxorum alienarum vel etiam viduarum, ac de his qui puellam aut viduam ingenuam absque regio iussu violenter dare marito præsumperint.*

**O**mne quod honestatem vitæ commaculat, legalis necesse est ut censura coerceat. Idcirco sollicitatores adulterii vxorum vel filiarum alienarum, atque viduarum

vel sponſarum, ſi per ingenuum vel ingenuam, ſeu per ſeruum aut ancillam, atque etiam libertam aut libertum, mox manifeſtis indi- ciiſ talium ſclerum mandata deferentes patnerint, cum eis etiam à quibus miſſi fuerint, iudicis inſtantia comprehenſi, in eius poteſtate tradantur, cuius vxorem vel filiam vel ſponſam ſollicitaſſe reperiuntur: vt il- li quoque de his quod voluerit ſi iudicandi libertas; quem coniugalis ordo, vel paren- talis propinquitas, huius vltorem criminis legaliter eſſe demonſtrat. Illi quoque qui puellam ingenuam vel viduam abſque regia iuſſione marito violenter præſumpſerint tradere, quinque libras auri ei cui vim fecerint, cogantur exſoluere: & huiusmodi con- iugium, ſi mulier diſſentire probatur, irritum nihilominus habeatur.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De ingenuis atque ſeruis quos in raptu intereſſe conſtiterit.*

Qui in raptu interfuiſſe cognoſcitur, ſi liber eſt, ſex auri vncias reddat, & quinquaginta ictuſ flagellorum publice extenſus accipiat. Nam ſi ſeruus fuerit, & ſine do- mini voluntate hoc fecerit, c. publice flagella ſuſcipiat. Quod ſi ſeruus in raptu inter- fuerit cum domini voluntate: dominus ita pro eo componat, ſicut & de ingenuis eſt conſtitutum.

IIII. TITVLVS.

DE ADVLTERIIS.

- I. *Si connibente aut non connibente vxore cum alio viro adulterium fiat.*  
 II. *Si puella aut mulier diſponſata adulteraſſe reperiatur.*  
 III. *De adulterio vxoris.*  
 IIII. *Si adulter cum adultera occidatur.*  
 V. *Si pater vel propinqui in domo adulteram occiderint filiam.*  
 VI. *Quod ſerui præuentos adulteros occidere non iubentur.*  
 VII. *Si puella vel vidua ad domum alterius pro adulterio venerit, eamque vir ipſe coniugem habere velit.*  
 VIII. *Si mulier ingenua ſponte adulterio cuiunque ſe miſceat viro.*  
 IIIII. *Si mulier ingenua marito alterius ſeſe iungat ſtupro.*  
 30 X. *Pro adulterio torquendos ſeruos & ancillas in capite dominorum.*  
 XI. *Si pro celando adulteri ſcelere, mancipium libertati tradatur.*  
 XII. *De adulterorum coniugum rebus.*  
 XIIII. *De perſonis quibus adulterium accuſare conceditur, & qualiter perquiri vel conuinci iu- betur.*  
 XIII. *Si ingenuus ſiue ſeruus virginem aut viduam ingenuam violenter polluiſſe adulterio de- tegatur.*  
 XV. *Si ingenuus ſiue ſeruus, neſciente domino, alienam conſentientem adulteraſſe conuincatur ancillam.*  
 XVI. *De adulterio ancille ſeu id cum adultero violenter aut conſentienter feciſſe probetur.*  
 40 XVII. *De meretricibus ingenuis vel ancillis, aut ſi earum ſcelus iudices perquirere vel corrigere voluerint.*  
 XVIII. *De immunditia ſacerdotum vel miniſtrorum.*

I. ANTIQVA.

*Si connibente aut non connibente vxore cum alio viro adulterium fiat.*



I quis vxori alienæ adulterium intulerit violenter, ſi ipſe adulter filios ha- bens legitimos talia perpetraverit, ipſe ſolus abſque rebus addicatur ma- rito mulieris. Si autem filios legitimos non habuerit quibus facultas ſua deberi legitime poſſit, cum omnibus rebus ſuis in poteſtatem mariti mu- lieris deueniat, vt in eius poteſtate vindicta conſiſtat: Quod ſi mulieris fuerit fortaiſſe conſenſus, marito ſimilis ſit poteſtas de his faciendi quod placet.

II: ANTIQVA.

*Si puella vel mulier diſponſata adulteraſſe reperiatur.*

Si inter ſponſum & ſponſæ parentes, aut cum ipſa forſitan muliere quæ in ſuo conſi- ſtit arbitrio, dato precio, & ſicut conſuetudo eſt, ante teſtes facto placito, de futuro coniugio, aut cum parentibus eius quibus lex poteſtatem tribuit, facta fuerit definitio, & poſtea puella vel mulier adulterium commiſiſſe detegatur, aut fortaiſſe alteri viro ſe diſpondiſſe, vel in coniugio ſociariſſe probatur, vna cum adultero ſiue iniuſto marito,



vel sponso illicito, quem sibi contra priorem definitionem sociare præsumpsit, in potestate prioris tradantur sponsi, cum rebus suis omnibus seruituri: si tamen filios de prioris coniugio adulter ille vel transgressor seu mulier ipsa non habuerit. Quod si filios legitimos habere probantur, tunc omnes res ad eosdem filios pertinebunt. Ipsi tamen, id est, tam mulier ipsa scelerata, quam etiam vir ille qui illam adulterasse, vel sponsasse, vel in coniugio sibi sociasse dinoscitur; in potestate illius cui primum prædicta mulier pacta fuerat, seruituri tradantur: ut de his quod voluerit faciendi habeat potestatem, & pretium ad illum sponsum qui dederat, reuertatur.

## III. ANTIQVA.

*De adulterio vxoris.*

**S**I cuiuslibet vxor adulterium fecerit, & deprehensa non fuerit, ante iudicem competentibus signis & indiciis maritus accuset. Quod si mulieris adulterium manifeste patuerit, adulter & adultera secundum superioris legis ordinem ipsi tradantur: ut quod de eis facere voluerit in eius proprio consistat arbitrio.

## IIII. ANTIQVA.

*Si adulter cum adultera occidatur.*

**S**I adulterum cum adultera maritus vel sponsum occiderit, pro homicida non teneatur.

## V. ANTIQVA.

*Si pater vel propinqui in domo adulteram occiderint filiam.*

**S**I filiam in adulterio pater in domo sua occiderit, nullam pœnam aut calumniam incurrat. Si certe eam reseruare voluerit, faciendi de ipsa & adultero quod voluerit, habeat potestatem. Similiter & fratres siue patru, post obitum patris, faciendi habeant potestatem.

## VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Quod serui præuentos adulteros occidere non iubentur.*

**S**Icut parentibus in domo repertos adulteros necare conceditur, ita præuenti à seruis perimi non iubentur: sed cum eos serui repperint, sub honesta custodia teneant, donec aut domino domus, aut iudici præsentandos exhibeant, & detectos certis indiciis legalis pœna percussat.

## VII. ANTIQVA.

*Si puella vel vidua ad domum alterius pro adulterio venerit, eamque vir ipse coniugem habere velit.*

**S**I puella ingenua siue vidua ad domum alienam adulterii causa venerit, & ipsam ille vxorem habere voluerit, & parentes, ut se habeant, acquiescant; ille pretium de parentibus quantum parentes puellæ velint, vel quantum ei cum ipsa muliere conuenire potuerit. Puella vero de parentum rebus nullam inter fratres suos, nisi parentes voluerint, habeat portionem.

## VIII. ANTIQVA.

*Si mulier ingenua sponte adulterio cuiunque se miscet viro.*

**S**I ingenua mulier cuiunque viro se adulterio volens miscuisse detegitur: si eam ipse vxorem habere voluerit, habeat potestatem: si autem noluerit, suæ imputet culpæ, quæ se adulterio volens miscuisse cognoscitur.

## IX. ANTIQVA.

*† miscet. Si mulier ingenua alterius marito sese adulterii † iungat stupro.*

**S**I qua mulier ingenua marito alicuius adulterio se sociauerit, & ex hoc manifestis indiciis & probatione conuincitur, addicatur vxori, cuius marito se miscuit, ut in ipsius potestate vindicta consistat.

## X. ANTIQVA.

*Pro adulterio torquendos seruos & ancillas in capite dominorum.*

**P**RO causa adulterii etiam in domini domineve capite serui vel ancillæ torquendi sunt: ut veritas & certius possit inueniri, & indubitanter agnosci.

## XI. ANTIQVA.

*Si pro celando adulterii scelere mancipium libertati tradatur.*

**S**iquis pro occultanda veritate, mancipium manumittat, ne possit pro adulterii probatione torqueri, libertas data non valeat.

## XII. FLS. CHDS. REX.

*De adulterorum coniugum rebus.*

**P**roteritæ quidem legis sanctione constitutum recolimus, adulteram mulierem pariter & adulterum marito eius tradi debere. Tamen quia de rebus eorum sæpe iudices dubitare contingit, ideo specialiter decernere necessarium exitit: ut si vxoris adulterium proponente viro manifeste patuerit, & tam adultera quam adulter de priori coniugio legitimos filios non habuerint, omnis eorum hæreditas marito mulieris adulteræ cum personis pariter addicatur. Certe si filios legitimos de priori coniugio adulter habuerit, ipsius eius hæreditas ex omnibus pertinebit, & huius tantum persona marito adulteræ subiacebit. Vxor autem adultera, si de priori coniugio & de postremo legitimos filios habere dinoscitur, sequestrata filiis de priore coniugio portione, & in eorum potestate relicta, sic suorum filiorum, ex eadem quæ postmodum in adulterio conuincitur coniuge creatorum, maritus eius portionem optineat, ut post suum obitum eisdem filiis possidendam relinquat: ita tamen, ut postquam vxor adultera in potestatem fuerit mariti redacta, nulla sit illi ulterius vel fornicandi cum illa, vel in coniugio illam sibi sociandi licentia. Nam si fecerit, ipse quidem de rebus eius nil habiturus est. Omnis tamen mulieris facultas, aut filiis eius legitimis, aut, si filii defuerint, heredibus mulieris ex toto proficiat. Similis ratio & de sponsatis forma seruetur.

## XIII. FLS. GLS. RGDS. REX.

*De personis quibus adulterium accusare conceditur & qualiter perquiri vel conuinci iubetur.*

**S**i perpetratum scelus legalis censura non reprimat, sceleratorum temeritas ab aduersis vitis nequaquam quiescit. Ideoque quia quorundam interdum vxores viros suos abominantes, seseque adulterio polluentes; iua potioribus quibusdam, vel maleficorum factionibus, eorundem virotum mentes alienant atque præcipitant, ut nec agniti vxoris adulterium accusare publice vel defendere valeant, nec ab eiusdem adulteræ coniugis consortio vel dilectione discedant: id in causis talibus omnino seruandum est, ut si eiusdem adulteræ, vel decepti mariti ætate sunt legitimi filii, ipsius iuxta quod maritus adulteræ requirere poterat, sit apud iudicem mulieris adulterium accusandi vel comprobandi licentia. Certe si aut filii defunt, aut non eiusdem ætatis vel solertix qui hoc expedire legitime possint, ne fortasse, dum dilatio vlciscendi adulterii intercedit, aut deceptum maritum fraudulentè adultera perimat, aut facultas eius filiis suis vel propinquis ex hac occasione depereat, propinquis mariti adulteræ sub hac discretionè accusandi adulteram lex ista constituit: ut si accusationis huius fiduciam assumentes, adulterium mulieris eorum inquisitione coram iudice manifestè patuerit, tunc adulter siue etiam adultera, qui hoc scelus conuicti fuerint commississe, cum omnibus rebus suis illi incunctanter tradendi sunt seruituri, qui hanc causationem secundum institutionem legis visi fuerint iustissime prosequi, saluis tantum animabus, quas ad lamenta penitentix pietatis indulgentia reseruamus. ea tamè quæ in detruncatione vel flagello corporis in eis impertire voluerint, licentiam per huius legis sanctionem decernimus. Veruntamen, tam eiusdem adulteræ filii ex ipso iam tempore, quo conuicta fuerit tale facinus perpetrasse; quàm etiam propinqui sui, post eius vitæ obitum, si filii defuerint, adulteræ mulieris optineant facultatem. Si autem filii post eius obitum superstites exiterint, & tamen aut non eiusdem ætatis, aut non talis experientix, qui mulieris adulterium accusare vel conuincere competenter intendant; tunc ille propinquus mariti, qui manifestum mulieris adulterium vltus fuerit, quintam partem facultatis adulteræ pro labore suo percipiat: quatuor autem partes ad integrum prædictorum filii sibi vindicent ac defendant. Nam si aut propinquorum in hac parte tepiditas, aut filiorum negligentia, vel fortassis muneris acceptio, vtrosque corrumpens, minime fuerit eadem

† conuicta  
† causam, ab  
accusationem.  
\* damnatione  
ne, vel



actio à talibus personis quæ sita; dum ad regiam cognitionem eadem causa peruenerit, ipse proculdubio pro mercede sua constitutus est vel à quo debeat tale negotium prosequi, vel quantum persequitur de rebus sceleratæ mulieris pro commodo sui laboris incunctanter consequi possit. Verùm quia difficile fieri potest, vt per liberas personas mulieris adulterium indagetur, dum frequenter hoc vitium occulte perpetrari sit solitum: proinde quando ad conuincendum adulterium accusatæ mulieris ingenuitas omnino defuerit, prædictis personis quibus eius adulterium accusare præsentis lege permissum est, hoc etiam aperte licitum erit, vt per quæstionem familiæ vtriusque domini accusare mulieris adulterium coram iudice iustissimè requiratur.

## XIII. ANTIQVA.

*Si ingenuus siue seruus virginem aut viduam ingenuam violenter polluisse adulterio detegatur.*

**S**I virginem quisque vel viduam ingenuam violenter adulterandam compresserit, vel stupri forsitan commixtione polluerit: si ingenuus est, c. flagellis cæsus, illi continug cui violentus exiit seruiturus tradatur: seruus verò cõprehensus à iudice ignibus concremetur. Ingenuus tamen pro huiusmodi scelere traditus, nullo vnquam tempore ad eius quam compressit vel stuprauit, peruenire coniugium admittatur. Quòd si hæc ipsa mulier quæ violentiam pertulit, postea eum sibi traditum seruum acceperit, aut qualibet occasione eum sibi in coniugio copulare præsumperit; tunc ipsa mulier, turpissimæ factionis suæ sentiens damna, cum omnibus rebus suis propriis hæredibus seruitura subiaceat.

## XV. ANTIQVA.

*Si ingenuus siue seruus sciente aut nesciente domino alienam consentientem adulterasse conuincitur ancillam.*

**S**I extra domum domini sui se adulterio volens ancilla miscuisse conuincitur, ancillam tantummodo iudicandi dominus habeat potestatem. Si vero ingenuus aut seruus cum ancilla ex consensu in domo domini ancillæ reperiatur talia commisisse: ingenuus quidem pro idonea ancilla absque infamia centum verbera ferat, pro inferiori vero quinquaginta: seruus autem cl. flagella suscipiat.

## XVII. ANTIQVA.

*De adulterio ancillæ, si cum adultero violenter id fecisse † conuincitur.*

†probetur.

**S**I ancillam quicumque violenter compresserit alienam, eamque adulterauerit, & vel in domo domini sui fuerit comprehensus, vel in quocunque loco violentus extitisse conuincitur, seruus quidem ducentos ictus accipiat flagellorum: ingenuus verò quinquaginta, & insuper xx. solidos ancillæ domino coactus exsoluat. Dominus tamen, si id seruo faciendum iussisse probatur, superiori ingenuorum & dampno & flagello subiaceat.

## XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De meretricibus ingenuis vel ancillis, aut si earum scelus iudices perquirere vel corrigere recusent.*

**S**I aliqua puella ingenua siue mulier, in ciuitate publicè fornicationem exerceens, meretrix agnoscat, & frequenter deprehensa in adulterio, nullo modo erubescens, iugiter multos viros per turpem suam consuetudinem attrahere cognoscitur, huiusmodi à Comite ciuitatis comprehensa trecentenis flagellis publicè verberetur, & discussa ante populum dimittatur: sub ea conditione, vt postmodum in turpibus vitiis nullatenus deprehendatur, nec vnquam in ciuitatem ei veniendi aditus detur. Et si postmodum ad pristina facta rediisse cognoscitur, iteratim à Comite ciuitatis trecentena flagella suscipiat, & donetur à nobis alicui pauperi, vbi in graui seruitio permaneat, & nunquam in ciuitate ambulare permittatur. Et si fortè contingat, vt cum conscientia patris sui vel matris adulterium admittat, vt quasi per turpem consuetudinem & conuersationem victum sibi vel parentibus suis acquirere videatur, & ex hoc pater vel mater fuerint pro hac iniqua conscientia fortasse conuicti, singuli eorum centena flagella

gella suscipiant. Si vero ancilla cuiuscunque in ciuitate simili conuersatione habitare dinoscitur, à iudice correpta treceris flagellis publicè verberetur, & decaluata domino reformetur, sub ea conditione, vt eam longius à ciuitate faciat conuersari; aut certè tali loco transuendat, vbi penitus ad ciuitatem accessum non habeat. Quod si forsità neq ad villam transmittere, nec vendere voluerit, & hęc iterum ad ciuitatem reuersa fuerit, huiusmodi dominus in conuentu publicè l. flagella suscipiat. Ipsa vero ancilla donetur alicui pauperi, cui Rex, vel Iudex, aut Comes eligere voluerint: ita vt postmodum ad eandem ciuitatem illi veniendi aditus non prestetur. Quod si contigerit, vt cum domino voluntate adulterium commisset, adquirens per fornicationem pecuniam domino suo, & ex hoc publice fuerit conuictus, ipse dominus eundem numerum flagellorum, qui superius de eadem continetur, ancilla suscipiat. Similiter & de ipsis præcipimus custodiri, quæ per vicos & villas in adulterii consuetudine fuerint deprehensæ. Quod si iudex per negligentiam aut fortasse beneficio retentus, talia vitia requirere, aut contestari, vel distringere noluerit; à Comite ciuitatis c. flagella suscipiat, & xxx. solidos reddat ei cui nobis fuerit ordinatum.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De immunditia sacerdotum & ministrorum.*

20 **Q**uia quanto magis munditiã carnis sacra auctoritas imperat, tanto hanc appetere ipsius ministros eius clamor informat: ideo & nos ponere finem inlicitis ausibus ritè compellimur, quoniam & ipsi diuinis nutibus deuotissimè placere conamur. Igitur quemcunque etiam presbyterum, diaconum atq; subdiaconum, Deo votæ, viduæ comixtum esse euidentissimè patuerit, mox hoc episcopus siue iudex, vt repererint talè commixtionem, disumpere non retardent. Redacto autem illo in sui pontificis potestatem, sub poenitentia lamenta iuxta sacros canones deputerur. Quam distinctionis seueritatem, si pontificum torpor implere neglexerit, idem pontifex duas libras auri fisco persoluat, & commissum malum vindicare non differat. Quod si corrigere hoc nequiuerit, aut concilium appellet, aut regis hoc auditibus nunciet. Mulieres verò, quæ illis fuerint prædictis immunditiis † implicatæ, centenis flagellis à iudicibus verberentur, & commiscendi se illis aditus omnino denegetur: seruata ab episcopis etiam super hoc scelere in vtroque sexu patrum sententiã, quæ canonum decretis agnoscitur ordinata. In vlciscendis autem talibus sceleribus non passim damus accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis patuerit scelus, aut legitimè fuerit id ipsum malum accusatum atq; conuictum: quatinus nulla videamur intentione vel ordine patrū transgredi præcepta sanctorum, aut obuiare sacris regulis antiquorum.

V. TITVL.

DE INCESTIS ET APOSTATICIS ATQVE  
masculorum concubitoribus.

- I. De coniugiis & adulteriis incestiuis.
- II. Item de coniugiis & adulteriis incestiuis, seu virginibus sacris ac viduis & poenitentibus laicali veste vel coitu sordidatis.
- III. De viri: ac mulieribus tonsuram & vestem religionis prauaricantibus.
- IV. De speciali viduarum fraudulentia compescenda.
- 50 V. De masculorum stupris.
- VI. De violantibus paternum atque fraternum thorum.
- VII. De sodomitis, qua debeant vltionis sententia percuti.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De coniugiis & adulteriis incestiuis.*





† patris.

Nillus præsumat de genere patris vel matris, aui quoque vel auic seu parentum, vxoris, † fratris etiam desponsatam aut viduam vel propinquorum suorum relictam, sibi in matrimonio copulare, vel adulterio polluere: ita vt vsque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinosè fœdare, vel in coniugio appetere; exceptis illis personis, quas per ordinationem atque consensum principum, ante hanc legem constat adeptas fuisse coniugium: quæ nequaquam per legis huius edictum teneri poterunt ad reatum. Similis & de mulieribus ordo seruandus est. Qui verò contra hanc constitutionem præsumpserint facere, iudex eos non differat separare, vt à tam nefanda pollutione diuisi, iuxta qualitatē sexus, in monasteriis delegendur illie iugiter permanfuri. Quid verò de eorum facultatibus obseruari conueniat, subterius correctæ legis sententia manifestatur.

## II. FLS. GLS. RCHDS. REX.

*Item de coniugiis & adulteriis incestiuis seu virginibus sacris ac viduis & penitentibus, laicali veste vel coitu sordidatis.*

VNiuerfis prouinciis domino ordinante ad regni nostri ditionem pertinentibus. Noxa præteritorum operum prauitas fecit futuris temporibus legem ponere, & vitiosis facinoribus licentiùs inolitis termino iustitiæ obuiare. Audetur denique à multis, contra diuinæ legis monita vel contra honestos vitæ communis mores, deuotas deo virgines, & continentiam viduitatis cum benedictione sacerdotis iuxta morem canonum profitentes, seu affinitate consanguinitatis coniunctas fœminas, aut violenter, aut per consensum sibi coniuges sumere, & deo dicatam castitatem vel reuerendam generis copulationem, inconcessæ libidinis immunditia sordidare. Quæ temeritas, dum vel à viris vel à fœminis eiusdē professionis admittitur, & castis abhorret morib; & fidē, verā impugnat. Zelamus .n. pro veritate zelo dei, atq; Ecclesiā sanctam catholicam, his fidei nostræ cōmonemus decretis, vt deinceps, sicut & canones Ecclesiastici prohibēt, nullus deo deuotam virginē, nullus sub religionis habitu consistentē, siue viduitatis continentiam profitentē, seu agentē penitentiam, vel sui proximā generis, aut eam de cuius admixtione incestiuæ notam possit subire infamiæ; non licito connubio, aut vi, aut consensu accipiat coniugem. quia nec verum poterit esse coniugium, quod à meliori proposito deducitur ad deterius; & sub falsi nominis copula, incestiua pollutio & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc verò nefas si agere amodo prouinciarum nostrarum cuiuslibet gentis homines sexus vtriusque temptauerint, inlstante sacerdote vel iudice, etiam si nullus accuset, omnibus modis separati exilio perpetuo relegentur, nec aliqua in defensione sui, quo vsque vixerint, longitudine temporis excusentur. Eorum verò bona qui talia gesserint, & pro talibus culpis dampna legis huius exceperint, si eis de priori coniugio filii defuerint, ipsorum filiis absque infamiæ nota omnino proficiant. quia licet sint sceleratè concepti, sunt tamē vnda sacris baptisimatis expiati. Quòd si filii fortasse defuerint, illi ad capiendam hereditatem succedant, quibus priscarum legū sanctio legitima successione indulget. Similis quoque de religiosis forma seruabitur, quibus nubere canonum sententia prohibetur: illis tantum feminis ab hac sententia segregatis, quæ violentiam cōiunctionis indebitæ sine præcedenti vel sequenti consensione protulerint. Sacerdotes verò vel iudices, si talia cognoscentes vlcisci fortasse distulerint, quinas auri libras fisco cogantur exsoluere. Quòd si forè id redarguere voluerint, nec potuerint, regis hoc auditibus insinuare procurent: vt quod eorū non potuit vindicare sententia, principalis dampnet omnino censura.

## III. FLS. GLS. CHDS. REX.

*De viris ac mulieribus tonsuram & vestem religionis prauaricantibus.*

† censura  
signaculum.

Apostaticę calamitatis opprobrium ex hoc merito funditus extirpare compellimur, ex quo dominum nobis fore propitium confidimus. Si enim cum minima peccata corrigimus, pietatem eius fautricem nobis efficiamus; quanto magis, si scelus in diuinitate commissum seuerissimæ censuræ falce rescindimus? Ideoque hac in perpetuum valitura lege sancimus: vt quicumque religionis habitum per honorabile † tonsuræ signum, aut tempore penitentia susceperint, aut non fraudulenta sed pia parentum oblatione meruerint, aut propria voluntatis deuotione tenuerint, & ad laicalem conuersationem postmodum apostatizando redierint, iuxta sententiam canonicam ad

cuns-



eundem religionis ordinem quolibet prosequente reducantur inuiti, atque infamiae nota reserpsi, & in monasteriis perenniter religati, districtori macerentur poenitentia, corrigendi. Illis tantum supplicio seueritatis huius indulto, quos aut alienae fraudis coegit impulsio, aut ad ordinis omissi regressum voluntatis propriae reduxerit votum: si tamen nec vir post haec uxorem duxerit, nec mulier maritum alterum acceperit. Illos etiam ab hac sententia immunes efficitur, qui sic inualecente langore ad poenitentiae vel tonsurae peruenerint ordinem: ut id se nec accepisse tunc nouerint, nec petisse meminerint. Prauaricantium vero bona, eorum filius aut propinquus hac discretione pertineant: ut vir habens uxorem, si filios etiam ex eadem habuerit, & donatum aliquid ab ipsa perceperit: si superstes uxor est, ita possideat, ut post suum obitum communibus filiis possidendum relinquat. Certè si aut ipsa discesserit, aut communes filii desunt, proprietatem prauaricatoris uiri propinqui eius heredes incunctanter optineant. Nam quod ab uxore quolibet tempore donatum fortasse perceperat, propinquus uxoris heredibus absque dubitatione proficiat. Haec etiam de feminis omnino seruabitur forma: ut poenitens uirgo vel uidua, si veste religiosa deposita, secularia denuo sumpserint indumenta, aut inierint fortasse coniugia, similis eas & in amissione rerum iuxta superiorem de uiris taxatum ordinem, censura redarguat, & districtio- nis poena percellat: ita uidelicet ut proprietatem feminae eius filii aut heredes habeant: donationem autem à viro perceptam propinqui mariti, à quo conscripta donatio dinoscitur, debere sibi cognoscant. Et quoniam apostatizandi praecipitatio fraude potius mulierum saepissime perpetratur, id etiam oportuit praesenti lege censendum: ut quicquid à viro seu ante nuptias, seu post nuptias, in nomine sponsae vel uxoris titulo fuerit dotali conscriptum, non mulieris eius heredes, sed heredes eius qui dotem conscripsit, sibi met per omnia nouerint vindicandum. Personis vero talibus accusandi, vel testificandi, atque aliena negotia prosequendi licentiam penitus abnegamus. Quia non poterunt in negotiis secularibus fideles existere, qui deuotionem sanctam ausu comprobantur sacrilego temerasse.

IIII. IN NOMINE DOMINI FLS. GLS. EGIGA. REX.

*De speciali viduarum fraudulentia compescenda.*

Solet quarundam infeliciam viduarum astutia fraudem deuotioni admiscere, & permixta vestium <sup>† simulatae</sup> simulatae, transgressionis sibi cum voluerit aditum referare. Agunt enim tempore luctus sui ut religiosa veste forte se induant, & postea transgressionis meditantibus insaniam, replicatos abintus clauos suis tunicis insuant, quos induisse sub tali fraudum argumentatione contendunt. Sicque per hoc intuentium fallunt oculos: quia aliud in eis publice videre non possunt, quam quod foris patula omnibus cognitione monstratur. Quapropter ut omnis de caetero <sup>† simulatae</sup> simulatae amputetur occasio, id tenendum praesenti sanctione legis decernimus, ut abinceps quaecumque uidua isto se fraudum argumento excusare voluerit, ut abintus aliud replicet, aliudque ostendat in superficie tunicae, hoc illi religionis deputeur insigno, quod ex transgressionis delictis admissa vel adnisa est argumento: quia non quod illa ad transgressionem sibi usurpat, sed quod intuentium fides clamat, haec certa, haec vera religionis approbanda sunt signa. Iam vero uidua quae deinceps tali se voluerit obiectione defendere, vel excusatione celare, non solum quasi praecisae vocis huius sustinebit iacturam, sed transgressionis omnimodae nexibus illigata, constituta canonum & legum non effugiet dampna.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

*De masculorum stupris.*

Non relinquendum est scelus inultum, quod detestandum semper & execrabile morum prauitate censetur. Masculorum ergo concubitores, vel ii qui talia consentientes pertulerint, ista sunt legis huius sententia feriendi: ut uti scilicet mox tale nefas admissum iudex euidenter inuestigauerit, utrosque continuo castrare procuret: & tradens eos pontifici territorii ipsius, ubi id perpetrari contigerit, sequestratim arduae <sup>† al. mancipentur.</sup> mandentur detrusioni, vel inuiti saltem luituri commissi, qui voluntarie perpetrasse noscuntur illicita. Hoc interim horrendum dedecus, si inferens quisque vel patiens, non voluntarius sed inuitus explere dinoscitur: tunc à reatu poterit immunis haberi, si nefandi huius sceleris ipse detector extiterit. Ille proculdubio tenendus est ad poenam, quam in hac



*† infamiam.* sponte deuolutum constat † infamiam. Habentes autem vxores, qui de consensu talia gesserint, facultatem eorum filii aut heredes legitimi poterunt obtinere. Nam coniugi sua tantum dote percepta, suarumque rerum integritate retenta, nubendi cui voluerit, indubitata illi manebit & absoluta licentia.

VI. FLS. RCDS. REX.

*De violentibus paternum ac fraternum thorum.*

**S**uperiori quidem lege de propinquorum incestu quid debeat obseruari, decretum est: tamen quia non minoris esse constat sceleris, paternum thorum siue fraternum commaculati, constituentes adiicimus, vt concubinam patris sui vel fratris, aut eam quam scierit patrem suum aut fratrem vel semel adulterasse, seu sit libera siue ancilla, nullus vnquam propinquorum adulterare, præsumat: neque pater adulteratam à filio stupri sceditate aliquatenus polluat. Quod si talia quisque sciens facere fortasse præsumperit, facultatem eius, si filios legitimos non habuerit, heredes quos successio expectat optineant. Ipse verò sub pœnitentia relegatus, perennis exilii dampnationem excipiat.

VII.

*De sodomitis, qua debeant ultionis sententia perculi.*

*† regalem.* **O**rthodoxæ fidei ratione compellimur, † legalem censuram in honestis exhibere moribus, & continentiz freno restringere carnis lapsibus implicatos. Nam tunc potius genti ac patriæ nostræ elementi pietate consulimus, cum & prauorum funditus scelera extirpare curamus, & in male actis vitiorum terminum ponimus. Illud sane facinus detestandæ libidinis abrogare contendimus, quibus masculi masculos illicita stupri actione, immundis sordibus maculare non metuunt, tantique se flagitii coinquinationibus polluant, quanto ea & diuinis aduersa cultibus & contraria castitati conspiciunt. At vero licet huiusmodi lapsus & sacræ scripturæ auctoritas, & mundanæ sanctionis prohibeat omnino censura; nouellæ tamen legis necesse est abrogari sententia, ne dum emendatio opportuna differtur, peioribus crescere vitiis dinoscatur. Et ideo huius legis edicto decernimus, vt quicumque a modo vel deinceps, seu de religiosis siue ex laicis, cuiuslibet ætatis aut generis homo præscripto fuerit scelere quibuscunque indicis manifeste detectus, mox iubente principe vel quolibet iudice insistente, non solum castrationem virium perferat; sed in super illam in se iacturam accipiat ultionis, quam pro his causis, nuper, in anno videlicet tertio regni nostri, sacerdotalis decreti promulgata sententia euidenti descriptione deprompsit.

VI. TITVLVS.

DE DIVORTIO ET DISCIDIO SPONSORVM.

- I. Si mulier viri sui iuste vel iniuste diuortium patiatur.
- II. Ne inter coniuges diuortium fiat.
- III. Ne inter sponfos discidium fiat.

I. ANTIQVA.

*Si mulier viri sui iuste vel iniuste diuortium patiatur.*

**M**ulierem ingenuam à viro suo repudiatam, nullus sibi in coniugio sociare præsumat. Quod si facere quicumque præsumperit, mox vt comes ciuitatis, vel vicarius, aut territorii iudex, tale nefas commissum agnouerit: si nobiles fuerint fortasse personæ, quos iudex distringere aut separare non possit, nostris id auditibus confestim publicare non differat: vt seueritatem legis, quam merentur, excipiant. Nam si minoris loci personæ sunt, iudex eos continuò separare nequaquam moretur. Ita vt tam mulier, quæ se adulterio extra voluntatem mariti prioris in coniugium copulauit, quam etiam ille qui eam sibi assumere vxorem præsumpsit, in potestate tradantur anterioris mariti: vt quid de eis facere voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Si tamen causam inter priorem maritum & vxorem adhuc inauditam manere constiterit, aut si idem maritus aliter se mulieri in matrimonio non coniunxerit. Certe si maritus vxorem iniuste reliquerit, & donationem dotis amittat, quam ei contulerat, eidem mulieri proculdubio profuturam, & de rebus eiusdem mulieris nihil se habiturum esse cognoscat. Sed quicquid etiam de facultate ipsius mulieris vel alienasse vel fraudasse dinoscitur, ad integrum distringente iudice mulieri restituat. Quod si mulier sub metu viri sui consistens, quo-

quocunque argumento persuasa siue decepta, aliquam de suis rebus, in nomine illius viri qui eam reliquit, scripturam conscripserit, huiusmodi scriptura nullam omnino firmitatem habebit: sed vniuersa, quæ per eandem scripturam mulier dederat, iuri suo perenniter vindicabit.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

*Ne inter coniuges diuortium fiat.*

SI alienam coniugem violare, sine crimine non est; quanto magis illam contemneré, quæ sponte sua vnusquisque possidendâ sortitus est? Quia ergo plerosque tam præcipites habet, vel rerum ambitio, vel effrænata libido: vt quadam fraude, coniugibus suis spretis, alias videantur vxores appetere, constitutionis huius est perenniter forma seruanda. Vt nullus virorum, excepta manifesta fornicationis causa, vxorem suam aliquando relinquât; & neque per testem neque per scripturam, siue sub quocunque argumento, facere diuortium inter se & suam coniugem audeat. Sed si adulteram maritus dixerit fortasse redarguendam, iuxta legem aliam, eius publice scelere comprobato, à iudice sibi faciendi de ea quod voluerit, sit illi potestas. Certe si conuersionis ad <sup>†</sup> dominum voluntas extiterit, communem assensum viri scilicet & mulieris sacerdos euidenter agnoscat: vt nulla postmodum cuiuslibet eorum ad coniugalem aliam copulam reuertendi excusatio intercedat. Quòd si aliter quisque vxorem suam spernens, quamcunque calliditatem scripturarum ab ea sibi suisque <sup>†</sup> voluntatibus profuturam exegerit, non solum tale vinculum quandoque repertum fuerit, nihilominus firmitatem habebit: sed eadem mulier, tam facultatem suam quàm dotem ab ipso viro acceptam sibi in omnibus vindicabit: & si quid aliud facultatis eiusdem pessimi viri fuerit, cunctis eorum filiis ad integrum pertinebit. Quòd si aut communes filii, aut eiusdem viri ex coniugio præcedenti non fuerint, vniuersam viri facultatem mulier quæ per nequitiam illius à coniugio resoluta est, incunctanter poterit optinere. Et hanc causationem vel accusationem, si mulierem constitit fortasse defunctam, eius filii in cuiuscunque voluerint proponendi iudicio licentiam habituri sunt: vt reperto tali crimine vir utique huius sceleris istius legis mulctetur sententia, & omnibus filiis, seu ex eodem pari coniugio, siue ex præcedenti ipsius viri, vt diximus, procreatis, æqualiter facultas eius optinenda pateat. Certe si nec communes filii, nec ex priori ipsius viri coniugio geniti superstites extiterint: & ea forsitan mulier, quæ relicta est, ex priori digno coniugio filios videatur habere, ipsis proculdubio licitum erit maternam vocem asserere: vt eorum instantia cum fuerit, iuxta præsentem legem, scelerati personam damnata, facultas eius indubitanter optineant. Iam verò si prædictarum personarum, vel viri vel mulieris, secundum præfatum ordinem, filii deesse noscuntur; contemptæ mulieris hereditatem tunc recte propinquis eius capiendi licitum erit, si despectum propinquæ vindicaturi, spernentis viri præsumptionem legaliter condemnandam institerint. Maritus autem, qui vel diuortii vel securitatis à coniuge scripturam quamlibet exegerit, seu fortasse non exigens, contempta tamen vxore, aliam sibi vxorem assumpserit, ducentis publice verberibus flagellatus, ac turpiter decaluatione scedatus, aut perpetuo condemnatur exilio, aut si donare illum cuiusque principis potestas elegerit, in suo consistat arbitrio. Sed & mulier, quæ sciens, aut occasione qualibet agnoscens, virum habere superstitem vxorem, eius vanitati consenserit, vt ipsi se in coniugio copulet, illi protinus mulieri tradenda est, quæ contempta ab eodem marito, quem illa sortita esse dinoscitur: ita vt vita tantum concessa, faciendi de ea quod elegerit, sit illi libertas. Certe si post mulieris obitum, filiorum eius asseruione tale nefas fuerit comprobatum; aut si filii defuncti, à propinquis heredibus extiterit huius rei negotium persequutum: ipsis similiter præuaricatrix mulier tradatur in potestatem. vt eodem iudicio, quo mulier contempta debuerat, de persona eius, absque mortis interitu, sententiam ferat. Sane, quia per mulieres etiam, huius rei interdum fieri solet scandalum, vt fauore regum vel iudicum, viros proprios spernere videantur: ideoque, si quæcunque mulier, siue principis ope, aut quocunque ingenio, seu cuiuslibet auxilio, intenderit inter se & virum suum diuortium fieri, vel ad alterius viri coniugium transire consenserit; in eiusdem legitimi viri sui cum omnibus rebus suis potestatem redacta, eadem quæ superius maritum pœna constringit, vel quæ de rebus eorum est sententia constituta, sceleratæ mulieris damnatur temeritas. Similis quoque & de viris forma seruabitur, qui vxorē alterius vel spōsam sibi in coniugium sociare præsumpserint. Ea tantum conditione retenta, vt si mulieris



maritus, masculorum concubitor approbatur, aut si eandem suam vxorem, ea nolente, adulterandam cuiusque viro dedisse vel permisisse conuincitur, quia tale nefas fieri nequaquam inter Christianos oportet, nubedi mulieri alteri viro, si voluntas eius exiterit, nullatenus illicitum erit. Nam si in coniugio positus, vxore videlicet & marito, maritum fortè constiterit iustè cuiuslibet seruum addictum; si noluerit mulier manere vel habere illum in coniugali secum consortio, tandiu se nouerit castæ vitæ fra no manere constrictam, nec nubendi alteri viro concedi sibi licentiam, donec eius maritus, de quo dictum est, debitam extremæ vitæ mortem exsoluat.

† R C D S †

III. FILS. † CHDS. REX.

10

*Ne inter sponfos discidium fiat.*

**A** Equali placet transgressum damnatione mulctari, quod illa sum æquali præstabat dignitate manere. Igitur iuxta præsentem superiore legem de viris & mulieribus sponsatis tam in personis quàm in rebus forma seruanda est: qui post rratū traditionem, aut factam secundum leges definitionis sponsonem, conjugale fœdus continententes, aliis se personis in coniugium copulauerint, seu sine pari consensu aut ægritudine fortasse manifesto periculo, ad religionis propositum, calliditate magis quam deuotione conuersationis, aspirare præsumperint, superiore legem præcipimus permanere.

20

## DE ORIGINE NATVRALI, LIBER QVARTVS.

### Titulus I.

30

#### DE GRADIBVS.

- I. *De primi gradus natura.*
- II. *De secundi gradus affinitate.*
- III. *De tertii gradus parentela.*
- IV. *De quarti gradus consanguinitate.*
- V. *De quinti gradus origine.*
- VI. *De sexti gradus extremitate.*
- VII. *De personis septimi generis qua legibus non tenentur.*

40

#### I. ANTIQVA.

*De primi gradus natura.*

**P**rimo gradu continentur superiori linea, pater, mater: inferiori filius, filia, quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

#### II.

*De secundi gradus affinitate.*

50

**S**ecundo gradu continentur superiori linea, auus, auia: inferiori, nepos, neptis: transuersa, frater & soror. Quæ personæ duplicantur: auus enim & auia, tam ex patre quàm ex matre. Nepos, neptis, tam ex filio quàm ex filia. Frater & soror, tam ex patre quàm ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quoque gradibus similiter per substantiam earum, quæ in quoquo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur: & istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo aui & paternus & maternus. Item duo genera nepotum sunt, siue ex filio siue ex filia procreati. Frater & soror ex transuerso veniunt, id est, frater patris, aut frater matris, qui aut patruus, aut auunculus nominantur. Qui & ipsi hoc ordine duplicantur.

111.

*De tertii gradus parentela.*

**T**riprà, proauus, proauia, infrà, pronepos, proneptis: ex obliquo, fratris & sororisque filius, filia, Patruus & amita, id est, patris frater & soror. Auunculus & matertera, id est, matris frater & soror.

## IV.

*De quarti gradus consanguinitate.*

**Q**uarto gradu veniunt suprà, abauus, abauia: infrà, abnepos, abneptis: ex obliquo, fratris & sororis nepos, neptis. Frater patruelis, soror patruelis. i. patruus filius filiae, consobrinus, & consobrina, id est, auunculi & materterae filius, filia, amitus, amita, id est, amita filius, filia. Itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus adcrescit patruus magnus & amita magna, id est, aui paterni frater & soror. Auunculus magnus & matertera magna, id est, aui maternae & maternae frater & soror. Hic plus exponi opus non est, quàm lectio ista declarat.

## V.

*De quinti gradus origine.*

**Q**uinto gradu veniunt, supra quidem, atauus, atauia: infrà, adnepos, adneptis: ex obliquo, fratris & sororis pronepos proneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amiti- ni, amita, consobrini, consobrina filius, filia. Proprius subrinus, subrina, id est, patruus magni, amita magnae, auunculi magni, materterae magnae, filius, filia. His adcrescunt, propatruus, proamita, hi sunt proaui paterni frater, & soror, Proauunculus, promatertera, hi sunt proaui materni frater & soror. Haec species, nec aliis gradibus, nec aliis vocalibus declarari possunt.

## VI.

*De sexti gradus extremitate.*

**S**exto gradu veniunt suprà, tritauus, tritauia: infrà, trinepos, trineptis: ex obliquo, fratris & sororis abnepos abneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amiti- ni, amita, consobrini, consobrina, patruus magni, amita magnae, auunculi magni, materterae magnae, nepos, neptis, Proprii subrini filius, filiae, qui consobrini appellantur. Quibus ex latere adcrescunt propatruus proamita, proauunculi, promaterterae filius, filia. Abpatruus, abamita. hi sunt abauus paterni frater, & soror: Abauunculus, abmatertera. hi sunt abauus materni, frater & soror. Haec quoque explanari amplius non possunt, quia auctor ipse differuit.

## VII.

*De personis septimi generis quae legibus non tenentur.*

**S**eptimo gradu qui sunt cognati, recta linea supra infraque, propriis nominibus non appellantur, sed ex transuersa linea continentur: fratris sororisque abnepos abneptis, consobrini consobrinae, filii filiae. Successionis autem idcirco gradus septem constituti sunt: quia ulterius per rerum naturam, nec nomina inueniri, nec vita succedentibus propagari potest.

## II. TITVLVS.

## DE SVCCSSIONIBVS.

- i. Vt sorores cum fratribus aequaliter in parentum hereditatem succedant.
- ii. Quod in hereditatis successione, filii primi sunt.
- iii. Si de superiori, vel inferiori genere, directa ordinis persona defuerint, tunc à latere venientes facultatis capiant portionem.
- iiii. Qui succedere possunt in eorum facultatibus, qui nec scriptis nec testibus suam alligant voluntatem.
- v. De successione fratrum & sororum, siue illorum, qui de diuersis parentibus generantur.
- vi. Si is qui moritur, auos relinquat aut auas.
- vii. Si is qui moritur sorores relinquat, patris aut matris.
- viii. Si is qui moritur filios fratris vel sororis relinquere videatur.
- iiiiii. Quod in omni hereditate femina accipi debeat.



- X. *Item vt in omni hereditate femina accipi debeat, & quod qui in gradu alterum precedit, ille successionem vicinior capiat.*
- XI. *De successione mariti & uxoris.*
- XII. *De hereditate clericorum & monachorum.*
- XIII. *Vt post mortem matris, filii in matris potestate consistant, & quid de rebus filiorum agere conueniat patrem.*
- XIII. *Si mater in viduitate permanserit, equalens inter filios capiat portionem, & quid de rebus filiorum agere conueniat matrem.*
- XV. *Ne uxor sibi vendicet, quod maritum cum seruis eius adquisisse constiterit.*
- XVI. *De his que uir & uxor in coniugio constituti conquirere potuerint.*
- XVII. *De paruulo, qualiter hereditatem capere possit.*
- XVIII. *Qualiter hereditatem paruuli parentes assequi possunt.*
- XVIII. *De posthumis.*
- XX. *Vt qui filios non reliquerit, faciendi de rebus suis quod uoluerit, habeat potestatem.*

## I. ANTIQVA

*Vt sorores cum fratribus equaliter in parentum hereditate succedant.*



**S**i pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque aliquo obiectu, æquali diuisione succedant.

## II. ANTIQVA.

*Quod in hereditatis successione filii primi sunt.*

**I**n hereditate illius qui moritur, si intestatus discesserit, filii primi sunt. Si filii desunt, nepotibus debetur hereditas. Si nec nepotes fuerint, pronepotes ad hereditatem uocentur. Si uero qui moritur, nec filios nec nepotes, seu patrem uel matrem relinquit, tunc auus aut auia hereditatem sibi met vindicabit.

## III. NOV. EMD.

*Si de superiori uel inferiori genere directi ordinis persona defuerint, tunc à latere uenientes facultatis capiant portionem.*

**Q**uando supradictæ personæ desunt, quæ aut de superiori aut inferiori genere directo ordine ueniunt, tunc illæ personæ quæ sunt à latere constitutæ requirantur, ut hereditatem accipiant defuncti, qui intestatus discesserit. Nam illæ personæ quæ sunt à longioribus constitutæ, nihil se existiment illis prioribus posse repetere.

## IV. ANTIQVA.

*Qui succedere possunt in eorum facultatibus, qui nec scriptis nec testibus suam alligant uoluntatem.*

**D**e successione eorum qui sic moriuntur, ut nec donationem nec ullum faciunt testamentum, nec presentibus testibus suam ordinent uoluntatem; qui gradu illis proximi fuerint, eorum optinebunt hereditatem.

## V. FLS. CHDS. REX.

*De successione fratrum & sororum, siue illorum qui de diuersis parentibus generantur.*

**Q**ui fratres tantummodo & sorores relinquit, in eius hereditate fratres & sorores æqualiter succedant: si tamen unius patris & matris filii esse uideantur. Nam si de alio patre uel de alia matre, alii esse noscuntur, unusquisque fratris sui aut sororis, qui ex uno patre aut ex una matre sunt geniti, sequantur hereditatem. Filii tamen qui ex diuersis patribus, & una matre sunt geniti, ad accipiendam maternam facultatem æquali successione deueniant. Similiter quoque hi, qui de diuersis matribus & uno patre oriuntur, diuisionis ordinem teneant.

## VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si is qui moritur, auos relinquat aut auias.*

**Q**uotiens qui moritur, si auum paternum & maternum relinquat, tam ad auum paternum quam ad auum maternum hereditas mortui uniuersa pertineat. Si autem qui moritur, auum paternum & auiam maternam reliquerit, æquales capiant portiones. Ita quoque erit, si auum maternum & paternam auiam, qui moritur, relinquere uideatur. Et hæc quidem æquitas portionis de illis rebus erit, quas mortuus conquisi-

se cognoscitur. De illis vero rebus quas ab auis vel parentibus habuit, ad auos directa linea reuocabitur hereditas mortui.

## VII.

*Si is qui moritur, sorores relinquat patris aut matris.*

**Q**ui moritur, si tantummodo matrem, hoc est, patris sororem, & materteram, hoc est, matris sororem relinquit, & intestatum eum obisse contigerit, æquali iure succedant in hereditatem defuncti, qui intestatus discesserit.

## VIII. ANTIQVA.

*Si is qui moritur, filios fratris vel sororis relinquere videatur.*

**Q**ui moritur, si fratres aut sorores non reliquerit, & filios fratrum & sororum reliquerit: si ex vno fratre sit vnus filius, & ex alio fratre vel sorore forsitan plures, omnem hereditatem defuncti capiant, & æqualiter per capita diuidant porciones.

## VIII. FLS. CHDS. REX.

*Quod in omni hereditate femina accipi debeat.*

**F**eminae ad hereditatem patris vel matris, auorum vel auiarum, tam paternorum quam maternarum, ad hereditatem fratrum vel sororum, siue ad has hereditates quae a patre vel a filio patris, fratris etiam filio vel sororis relinquuntur, æqualiter cum fratribus veniant. Nam iustum omnino est, ut quos propinquitas naturae consociat, hereditariae successionis ordo non diuidat.

## X. ANTIQVA.

*Item ut in omnem hereditatem femina accipi debeat, & quod qui gradu alterum precedit, ille successionem vicinior capiat.*

**H**as hereditates, quae a materno genere venientibus, siue auunculis, siue consobrinis, seu materteris relinquuntur, etiam feminae cum illis qui in vno propinquitatis gradu æquales sunt, æqualiter partiantur. Nam omnem hereditatem, qui gradu alterum precedit optineat.

## XI. ANTIQVA.

*De successionem mariti & uxoris.*

**M**aritus & uxor tunc sibi hereditario iure succedant, quando nulla affinitas usque ad septimum gradum de propinquis eorum vel parentibus inueniri poterit.

## XII. ANTIQVA.

*De hereditate clericorum vel monachorum.*

**C**lerici vel monachi, siue sanctimonialis, qui usque ad septimum gradum non reliquerint heredes, & sic moriuntur, ut nihil de facultatibus suis ordinent; ecclesia sibi cui deseruierint, eorum substantiam vindicabit.

## XIII. ANTIQVA.

*Ut post mortem matris filii in patris voluntate consistant, & quid de rebus filiorum agere conueniat patrem.*

**P**ater mortuo filii in matris potestate consistant. Quod si marito superstite uxor forsitan moriatur, filii qui sunt de eodem coniugio procreati in patris potestate consistant, & res eorum, si nouercam non superduxerit, ea conditione possideat, ut nihil exinde aut vendere, aut euertere, aut quocumque pacto alienare praesumat; sed omnia filiis suis integra & intemerata conseruet. Fructus tamen omnes cum filiis suis pro suo iure percipiat, & vna cum ipsis filiis suis, communibus consumat expensis. Quod si pater nouercam superduxerit, quia valde indignum est, ut filii eius, patris potestate vel gubernatione relicta, in alterius tuiti onem deueniant, filios suos pater ille qui nouercam induxerit, non relinquat; sed filios & res eorum, iuxta superiorem modum tuiti onis, ordine regat. Ita tamen ut inuentarium, de rebus filiorum suorum, manu sua conscriptum coram iudice, vel heredibus defunctae mulieris, strenue faciat, & tali se placiti cautione in heredum illorum nomine constingat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitime poterat: ut nihil de rebus filiorum suorum euerrat, sed filiorum suorum vitam sollicito voto vel actu seruare intendat: & res eorum absque aliqua perditionis diminutione tuendas accipiat, si tamen voluerit. Quod si pater ipse, qui nouercam duxerit, tuiti onem



fufcipere filiorum noluerit; tunc à iudice propinquior ex matre tutor eligendus est, qui tuitionem pupillorum accipiat. Cum verò filius duxerit vxorem, aut filia maritum acceperit, statim à patre de rebus maternis suam accipiat portionem: ita vt vsufructuario iure, patri tertia pars prædictæ portionis relinquatur. Pater autem tam filio quam filiæ, cum xx. annos ætatis impleuerint, mediam ex eadem, quam vnumquemq; cõtigerit, de rebus maternis restituat portionem, etiam si nullis nuptiis fuerint copulati. Medietatem verò, dum aduixerit, pater sibi vindicet, filiis post obitum relinquendam. Qui autem nouercam superduxerit, omnes facultates maternas filiis mox reformet; ne, dum filii cum rebus suis ad domum transeunt alienam, nouercæ suæ vexentur iniuriis. Eadem quoq; & de nepotibus forma feruetur. Quod si pater de his rebus aliquid euerterit, aut super tempus, quod constitutum est, res filiorum tenere præsumperit, omnia de rebus eius, filiis illis, de cuius matre res esse videbuntur, & reddenda sunt omnimodis & facienda.

## XIII. ANTIQVA.

*Si mater in viduitate permanferit, æqualem inter filios capiat portionem, & quid de rebus filiorum agere conueniat matrem.*

**M**ater si in viduitate permanferit, æqualem inter filios suos, id est, qualem vnusquisque ex filiis suis vsufructuario iure de facultate mariti habeat portionem, quã vsque ad tempus vitæ suæ vsufructuario iure possideat. Ceterum nec donare, nec vendere, nec vni ex filiis conferre præsumat. Quod si eam portionem filii, matrem euertere, seu per negligentiam, siue per odiũ, fortè perspexerint, ad Comitẽ ciuitatis, vel ad iudicem referre non differant; vt matrem suam contestatione commoneant, ne res quas vsufructuarias accepit, euertat. Nam vsu fructum quẽ ipsa fuerat † interceptura, dare cui voluerit filio vel filiæ non veretur. Sed & quod de ipso vsu sibi debito iustè conquire potuerit, faciat quodcunq; illi omnimodis iustissimè placuerit. Verum si ex ea vsufructuaria portione aliquid probatur euersum filiis post mortẽ matris de eius facultatib; faciat. Post obitum verò matris, portio, quam mater acceperat, ad filios æqualiter reuertatur, quia non possunt de paterna hereditate fraudari. Quod si mater ad alias nuptias fortè transferit, ex ea die vsufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat cõsecuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati sunt coniugio, vindicabunt.

## XV. ANTIQVA.

*Ne vxor sibi vindicet, quod maritum cum seruis eius acquisisse constiterit.*

**M**aritus si cum seruis vxoris suæ aliquid adquisierit, vel in expeditione aliquid lucri fuerit consecutus, nihil exinde vxor à viro præsumat repetere, nec ipso viuento, nec post eius obitum: sed vir qui vxorẽ suam secundũ sacram scripturam habet in potestate, similiter & in seruis eius potestatem habebit, & omnia quæ cũ seruis vxoris suæ vel suis in expeditione acquisiuit, in sua potestate permaneat. Pro eadem scilicet ratione: quia si ipsi serui, dum cum domino suo in expeditione conuersabantur, aliquid admississent fortè dampnosum, ille qui eos secum duxerat, & ei aliquid fecerant augmẽti, ipse pro eis & responsum daturus esset, & compositionem, si culpabiles fuissent inuẽti. Vnde bene iubetur, vt sicut lucrum, ita & dampnum ad se dominus nouerit pertinendum.

## XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De his quæ vir & vxor in coniugio constituti conquire potuerint.*

**D**vm cuiuscunq; dignitatis aut mediocritatis mariti persona & † vxoris fuerit nobiliter atque competenter adiuncta, & pariter viuentes aliquid augmẽtauerint, vel in quibuscunq; rebus quidpiã profligasse visi fuerint, atq; perueniat vt vnus ex his maioris rei & facultatis dominus sit: de omnibus augmentis, aut profligationibus pariter conquisitis, tantam partem vnusquisq; optineat, quantam eius facultatem fuisse omnimodis sibi debita vel habita possessio manifestat. Ita vt si æquales abundantia domini sunt, pro paruis rebus contentionis intemperantiam non assumant. Quia difficile est, vt in tanta æquitate facultas eorum possit æquari, ne in quocunq; videatur vna pars alteri superesse. Nam si euidenter vnus facultas alterius possibilitatem transgredi videatur, vt superius dictum est, iuxta quantitã debite possessionis erit & diuisio portionis. Quã sibi post vnus cuiusq; mortem vindicabit persona superstes, & aut filiis suis aut propriis relinquat heredibus, aut certe de ea facere quod voluerit licentiam optinebit. Eadem quoque

† al. perceptorum.

† al. vxoris.

quoque ordinationis forma, tam in viris quam in vxoribus, erit omnimodis obseruanda. De illis autem rebus, quibus in amborum nomine inueniuntur scripturæ confectæ, iuxta conditionem ipsius scripturæ, pertineat illis & diuisio rei & possessio iuris. Quod verò maritus, aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica acquisiuit, aut de principis, aut patroni, atque amicorum collatione promeruit, filii vel heredes eius ad integrum vindicabunt, aut quod exinde voluerit iudicare, licenter illi erit plenam potestatem habere. Similis & in mulieribus conditio erit, si quorumcumque munere videantur aliquid percepisse.

XVII. FLS. GLS. † RCDS. REX.

*De paruulo qualiter hereditatem capere possit.*

Interdum rem dubiam, nisi ratiocinationis disceptatio deducat in lucem, frequenter hanc ambiguitas præcipitat in errorem. Contendunt namque plurimi, si genitus infans, non longe defunctus, hereditatis parentum possit iura sortiri: quorum litibus hæsonit ratio modos. Naturæ ratio ita condita manet, taliq; vsu decurrit, ne is qui nascitur, prius aliud quam se suscipientem assumat heredem: & de tenebris genitalibus prodicens, illarum rerum sentiat tactum, quarum hunc partibus constat esse concretum. Quo ergo ordine, liberè capiet hereditatem terrenæ possessionis, qui vix extremæ capit primordia lucis? Quique sortitus vix est vsum elementorum, quibus concretus est, quomodo fortietur bona rerum, ad quarum dominium natus non est? quemque non hereditauit producta lux cæli, qualiter mortis contractu improvisa ditabit portio mundi? Quæ etiam ratione aggredietur viuētium iura, cui vicinior fuit, mortem adisse quam vitam? Sicque naufragus in medio lucis angustias mox genitales exiit, mox fatalibus lapsus est in tenebris. Vt ergo proximis parentibus ad successionem huius aditus referretur, & ipsa defuncti vita comprobetur, si verè clara sit vita, atque hanc ipsam licet parui temporis vitam comitetur æternæ participatio vitæ, non aliter in viroque sexu hereditatem capiat qui nascitur, nisi post natiuitatis ortum, & sacri baptismatis gratiam cõsequatur, & decem dierum spatii vixisse probetur: vt successoris patris vel matris persona, quæ per hunc paruulum terrenæ cupit hereditatis acquirere commoda, antè morturo æternæ mansionis præparet vitam, & ita demum assequatur viuens cum rebus labantibus terram. Sicque salutari commercio, dum hereditat ille cœlum, hereditet iste sæculum: dum illi prouidentur cœlestia, isti permittantur adire terrena: dumque assequitur ille vitalia, conquirat iste caduca. Vt & si defunctus terrenæ huius nõ potuit possidere; terreno saltem comparato iure, cœleste lucrum valeat optinere.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

*Qualiter hereditatem paruuli parentes assequi possunt.*

Patre defuncto si filius filiaue decem siue amplius vel infra diebus viuens baptizatus ab hac vita discesserit, quicquid ei de facultate patris competere poterat, mater sibi debeat vindicare. Itemque matre defuncta non aliter defuncti filii portionem pater optineat, nisi natum filium filiamve decem diebus, siue amplius, vel infra vixisse, fuisseque baptizatos edoceat. Ita vt pater aut mater, quibus ista successio competit, si filios nõ reliquerint, integram & intemeratam eandem luctuosam hereditatem, diuidendam omnibus nepotibus derelinquant, nec meliorandi quemcumque nepotum amplius quam de tertia parte huius rei habeant potestatem. Nam si ecclesiis vel libertis seu cui-libet largiri de eadem facultate voluerint, de quinta parte, secundum superiorem legem, potestatem habebunt. Sin autem nec filii, nec nepotes, nec pronepotes superstites exiterint, quod de eadem facultate facere vel iudicare voluerint, habeant potestatem. Quod si intestati decesserint, tunc alii parentes defuncti patris aut matris, qui gradu proximiores fuerint, prædictam facultatem proculdubio consequantur. Ita vt mortuo filio, si pater qui filii defuncti successionem capierit, intestatus discesserit, hereditibus patris ex lege propinquioribus eadem facultas pertineat. Similiter & si mater luctuosam defuncti filii hereditatem capierit, & intestata discesserit, omnis successio eiusdem facultatis ad propinquos mulieris heredes pertinere debet. Ea conditione seruata, vt nepotes ex filio vel filia, qui patre vel matre superstite mortui fuerint, integrã de rebus aut vel auix, quam pater vel mater eorũ si vixissent fuerant habituri, percipiant portionem. Quod si filius, habens vxorem & filios, patre viuente discesserit, antequam ei pater suus, omnem portionem, quæ ei contingebat, impleset: & filii, quos reliquerat, viuente auo mortui fuerint, tunc illa relicta hoc tantummodo accipiat, quod in ma-



ritum pater antea sequestrauit. nec plus illa vidua à socio vel cognatis requirat. Si verò filius cum patre in cōmune viuens, nihil ab eo portionis acceperit; tunc illa vidua tantūmodo accipiat, quod ei tēpore nuptiarū maritus eius donationis titulo nōscitur cōtulisse. Si verò filius patri seruans obedientiā, res quæ ei de materna successione cōpetebāt, patrem possidere permiserit: & postmodum eandem facultatem filio debitam, quam pater possidebat, idem filius vxori suæ vel cuiuscunque concesserit: firma talis donatio in nomine vxoris, & cuiuscunque conscripta manebit, si tamen filii de eodem coniugio non fuerint. Nam si filii superstites extiterint, ordo superioris legis incunctanter seruandus est.

## XVIII. FLAVIUS GVNDEMARVS REX.

*De posthumis.*

**D**iuini principatus quodammodo peragimus vicē, cum necdū genitis misericordiæ porrigimus opem. Ideoq; quicunq; vir præuentus sorte fatali foetu grauidam cum filiis reliquit vxorem, cum qui nascetur postmodum, cum cæteris qui nati sunt, fieri cēsemus heredem. quod si nusquam fortè reliquerit sobolem, & suam quibuslibet donauerit facultatem, quarta rerum portio his diuidenda seruetur. Tres verò quæ super sunt, posthumus absque dubio sortietur. Quòd si vir & vxor in coniugio positi, antequam filios habeant inuicem sibi vnus in alterius nomine, de facultate propria donationis faci-<sup>20</sup>ant scripturam & post huius testationis ordinem filios talibus habere contingat: talis parentum testatio, si filii superstites extiterint, omnino non valeat, sed ex toto huius tam indiseretæ ordinationis voluntate disrupta, debitam sibi omnem parentum facultatem filii accipiant & assumāt: de quinta tantū parte parentibus, si aliquid inde testasse contigerit, potestate concessa. Ceterum si vnus ex ambobus, id est, vir aut vxor, antequam vnus copulæ societatem adissent, quicunque ex ambobus in alterius nomine scripturam de rebus suis probatus fuerit conscripsisse, omni vigore valitura consistat: & talis testatio per eorum vocem, qui postea ex illis nati fuerint, non erit vllō modo conu-<sup>30</sup>ellenda.

## XX. FLS. RCDS. REX.

*Vt qui filios non reliquerit faciendi de rebus suis quod voluerit, habeat potestatem.*

**O**mnis ingenuus vir atque femina, siue nobilis siue inferior, qui filios vel nepotes aut pronepotes non reliquerit, faciendi de rebus suis quicquid voluerit, indubitanter licentiam habebit: nec ab aliis quibuslibet proximis ex superiori vel ex transuerso venientibus poterit ordinatio eius in quocunque conuelli. quia recta linea decurrens non habet originem, quæ successione naturæ hereditatem possit accipere. Ex intestato autem, iuxta legum ordinem, debitam sibi hereditare poterunt successionem.

## III. TITVLVS.

## DE PVPILLIS ET EORVM TVTORIBVS.

- I. *Quod utroque relictus parente pupillus vocetur.*
- II. *Ex quo incipient computari anni in actionibus pupillorum.*
- III. *Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum que pars tutoribus detur.*
- IV. *Ne tutores ab his, quos in tuitione habent, quascunque scripturas extorquere præsumant.*

## I. FLS. RCDS. REX.

*Quod utroque relictus parente, pupillus vocetur.*

**D**ISCRETIO pietatis est, sic consultum ferre minoribus, vt iustæ possessionis dominum sustinere damna non patiamur. Ob hoc licet hactenus, à patre tantum relictus paruuli filii, pupilli nuncupentur: tamen quia nō minorem cutam erga filiorum vtilitatem, matrem constat frequenter impendere, ideo ab utroque parente, hoc est, patre vel matre infra xxv. annos, filios post mortem relictos, pupillos per hanc legem decernimus nuncupandos.

*Ex quo incipient computari anni in actionibus pupillorum.*

**Q**uotiens de amissione rerum intentio vertitur, illos annos in pupillorum actionibus computandos esse censemus, quibus parentes illorum, pater videlicet aut mater, se caruisse noscuntur: id est, ut ex eo tempore cum pupillaribus annis ad quinquagennariam summam pertendant, de quo à prædictis eorum parentibus esse rem constat: propter hoc ultra loqui non poterit.

## III. ANTIQVA.

*Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum quæ pars tutoribus detur.*

**S**i patre mortuo, in minori ætate filii relinquuntur, mater eorum tutelam, si voluerit, suscipiat: si tamen in viduitate permanserit, ita ut de rebus filiis debitam quærant. Quod si mater arum perueniat ætatem; ipse iuniores fratres sua tuitione defendat, & res eorum nec ab ipsis, nec ab aliis permittat everti, nec aliqua negligentia deperire. Quod si eas ipse forte consumpserit, aut vendiderit, vel donauerit, aut per negligentiam suam perire permiserit: cum fratres adoleuerint, ea, quæ per negligentiam suam deperierint, de sua illis portione restituat. Cui tamen de fructibus ad victum præsumendi partem decimam non negamus: ut non hæc, quæ debet minoribus reservare, nimis evertat expensis. Si quis te iudice ratione, de ea quæ ipsi à patre communis relicta est substantia, quod expenderit, consequatur. Quod si fratres eius ætatis vel meriti non fuerint, qui defensionem suscipiunt orfanorum, tunc patruus vel patrum filius, tutelæ, qualem de fratribus constituimus, conditionem suscipiat. Quod si nec patruus, nec patrum filius, qui digne tutelam suscipiunt orfanorum fuerint, tunc tutor ab aliis parentibus in præsentia iudicis eligatur: & siue mater tutelam, siue quicumque susceperit, præsentibus testibus vel propinquis, de omnibus rebus quas pater reliquit, brevis factus trium vel quinque testium subscriptione firmetur: & præsentibus ipsis qui ad breuem faciendum testes interfuerint, Episcopo aut presbytero quem parentes elegerint, brevis commendetur, minoribus dum adoleuerint reformandus. Statuentes etiam, ut si quæ contra minorum personas aduersæ accesserint actiones, his intentionibus tutor si elegerit, debet parare responsum. Certè si neglexerit, repetenti quæ postulat à iudice restituantur: saluo tamen minorum negotio, dum adoleuerint, ad integrum reformando. Ille verò qui ad præsens rem ipsam petere cœperat; si in iudicio, dum ipse minor adoleuerit, ab eodem fuerit victus, id quod acceperat, cum retroactorum temporum fructibus siue seruitiis, ipsi minori aut parentibus eius, seu ad quem ipsa facultas iuste transferit, vel cui collata fuerit, indubitanter restituat: & pro præsumptione sua, quia quod in iudicio petierat vindicare non valuit, in super x. solidos coactus exsoluat. Nam & si tutor pro pupillorum lucris vel eorum rebus intendere vel causare voluerit, licentia illi indubitata manebit. Quod si negotia pupillorum, negligentia tutoris fuerint vitiosa vel deperdita, pupillis eam vicem ad futurum permittimus reparandam.

## IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne tutores ab his quos in tuitione habent quascunque scripturas extorquere sinant.*

**D**um minorum ætas in annis pupillaribus constituta, nec se, nec bona sua regere possit; bene legibus est decretum, eos, sub tutoribus esse, & in eorum negotiis, quòt statuti anni debeant computari. Quia verò quidam tutores, aut persuasione, aut indignatione circumueniunt eos, quos tueri gratissimè debuerunt, & de rebus reddendæ rationis securitates accipiunt, vel certè diuersarum obligationum scripturas ab illis exigendas insunt; quo extinctis vocibus eorum, quæ illis competunt, nunquam inquirere vel recipere permittantur: Ideò, ut melioris mercedis partem nostra clementia consequatur, dum competentem curam eisdem minoribus irrogare perpenditur, hæc custodienda modis omnibus conditio ordinatur: ut siue in minori ætate, seu etiam quamuis quartumdecimum ætatis annum videantur pupilli transire: tamen si tutores adhuc, vel ipsos, vel eorum res in sua potestate noscuntur habere; quamcunque scri-



pturam securitatis, aut alicuius obligationis atque transactionis, ipsis tutoribus, vel cui-  
cunque personæ, factione tutorū fecisse reperiantur, omnia inualida & exinanita pe-  
nitus reputentur. Cum vero tempus illud aduenerit, quando eum qui sub tuitione fuit  
rem in sua potestate oporteat redigere, tunc ille tutor coram sacerdote vel iudice, pu-  
pillo de cunctis rebus reddita ratione, ab eo quem tuitus est securitatis scripturam pro-  
curet accipere. Sicque remota omni occasione pressuræ, aut recipiat pupillus quod iu-  
stè sibi deberi cognouerit, aut libero arbitrio de rebus suis, vtrum cessionem, an qua-  
lem voluerit ordinare definitionem, plenam habeat libertatem. Si verò proueniat, vt  
cum in tuitione est, mortali langore vexetur; quid de sibi debitis rebus iudicare elegerit,  
à decimo ætatis suæ anno, iuxta ordinem qui in alia lege est definitus. plenissimam  
potestatem habeat. De rebus verò tutoris seu viuens siue moriens, idem tutor eas an  
filiis, an quibuscunque personis reliquerit, si pupillis reddita ratio non fuerit, iuxta in-  
uentarium quod tempore acceptæ tuitionis est factum, siue quod euidenter apud tu-  
torem fuisse exiterit manifestum, qui res tutoris habuerint, pupillis indubitanter om-  
nia reformabunt. Huius sane legis remedium cunctis pupillis dabit indubitanter con-  
sultum: excepto si † aliud tempus aduenerit, quando eorum vocem quinquagenario  
numero lex sopiri decreuit.

## IIII. TITVLVS.

## DE EXPOSITIS INFANTIBVS.

- I. *Vt pro exposito infantulo ingenuo seruiat qui proiecit.*  
II. *Si seruus vel ancilla consciis vel nesciis dominis proiicere videantur infantem.*  
III. *Qui à parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat premium.*

## I.

*Vt pro exposito infantulo ingenuo seruiat qui proiecit.*

**S**I quis puerum aut puellam vbiunque expositum misericordiæ contem-  
platione collegerit, & nutritus infans à parentibus postmodum fuerit ag-  
nitus; si ingenuorum filius esse dinoscitur, aut seruum vicarium reddat,  
aut precium. Quod si facere fortasse neglexerit, à iudice territorii de  
proprietate parentum expositus redimatur, & parentes huius impietatis auctores ex-  
ilio perpetuo relegentur. Si verò non habuerint vnde filium redimere possunt, pro in-  
fantulo seruiat, qui proiecit; & in libertate maneat propria, quæ seruauit prius aliena.  
Hoc verò facinus cum fuerit vbiunque commissum, iudicibus & accusare liceat &  
dampnare.

## II. ANTIQVA.

*Si seruus vel ancilla consciis vel nesciis dominis proiicere videantur infantem.*

**S**I seruus vel ancilla, in fraudem fortasse dominorum infantem exposuerint, & ipsis  
consciis infantem proiecerint; infans cum fuerit nutritus tertiam partem precii nutri-  
tor accipiat. Ita vt iuret aut probet dominus, se quod serui sui infantem exposuerint, i-  
gnorasse. Si vero consciis dominis, infans probatur fuisse iactatus; in eius, qui nutriuit,  
potestate permaneat.

## III. ANTIQVA.

*Qui à parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat premium.*

**S**I quis à parentibus infantulum acceperit nutriendum, vsque ad decem annos, per  
singulos annos, singulos solidos pretii pro nutrito infante percipiat. Si verò deci-  
mum annum ætatis excesserit, nihil postea mercedis addatur: quia ipse qui nutritus est,  
mercedem suam suo potest compensare seruitio. Quod si hanc sumam, qui repetit,  
care † voluerit, mancipium in nutrientis potestate permaneat.

## V. TITVLVS.

## DE NATVRALIBVS BONIS.

- I. *De non exheredandis filiis, & quod iudicium ferant parentes de facultatibus suis.*  
I. *De quota parte liceat mulieribus iudicare de dotibus suis.*  
III. *De his quæ parentes tempore nuptiarum filiis dederint.*

- III. De filiis ex diuersis parentibus natis, & qua discretione parentum assequantur hereditatem.
- V. De his qua filii patre viuente vel matre videntur acquirere.
- VI. De coercitione Pontificum, qui pro rebus, quas à suis ecclesiis auferunt, tricennium intercessisse causantur.
- VII. Ne hi qui retento ecclesiæ obsequio manumittuntur, ingenuarum personarum audeant adire coniugium.

I. FLS. CHDS. REX.

De non exheredandis filiis, &amp; quod iudicium ferant parentes de facultatibus suis.

**D**Vm illicita quæque perpetrari cognoscimus, legem ponere secuturis opportunè compellimur. Pleriq; enim indiscrete viuentes, suasque facultates interdum vel causa luxuriæ, vel cuiusdam malæ voluntatis assensu in personas extraneas transferentes, ita inoffensos filios vel nepotes, aut non ex graui culpa forsitan obnoxios, inanes relinquunt, vt utilitatibus publicis nihil possint omnino prodesse, quos oportuerat cum virtute parentum iniunctū sibi laborem inexcusabiliter expedire. Sed ne sub hac occasione aut vtilitati publicæ quædoque depereat, quod perire non debet; aut naturalis pietas suspendatur à filiis vel nepotibus, quam circa eos exerceri competenter oportet: ideo abrogata legis illius sententia, qua pater vel mater, auus siue auia, in extraneam personam, facultatem suam conferre si voluissent, potestatem haberent; aut etiam de dote sua mulier facere quod egresser, in arbitrio suo cōsisteret: ista magis seruetur à cunctis moderata censura: qua nec patribus nec auis adimatur iudicandi de rebus suis ex toto licentia, nec filios aut nepotes à successione auorum vel genitorum ex omnibus repellat indiscreta voluntas. Igitur pater aut mater, auus aut auia, quibus quempiam filiorum vel nepotum meliorandi voluntas est, hanc seruent omnino censuram: vt super tertiam partem rerum suarum meliorandis filiis aut filiabus, vel nepotibus atque neptibus, ex omnibus rebus suis amplius nihil impendant, neque facultatem suam ex omnibus in extraneam personam transducant, nisi fortasse prouenerit eos legitimos filios vel nepotes non habere superstites. Hoc tamen rationis intuitu prælucente, obseruandum adiicimus: vt pater vel mater, auus vel auia, de supradiçta tertia parte rerum suarum, si in nomine filiorum suorum atque nepotum aliquid specialiter scriptis conferre decreuerint, iuxta testationis eorum ordinem cuncta erunt obseruanda perenniter, qualiter testatio talium de eadem tertia portione, iuxta quod eam in singulos voluerit prælargiri, plenam & inconvulsibilem optineat firmitatem. Nec liceat filiis atque nepotibus, qui de hac tertia portione aliquid meruerint à parentibus suis vel auis percipere, quodcunque aliud iudicare, excepto si à parentibus vel auis nulla ad futura videatur pro collatis rebus testationis conditio intercessisse. Sanè si filios siue nepotes habentes, ecclesiis vel libertis aut quibus elegerint, de facultate sub largiendi † facultatem habuerint extra illam tertiam portionem, quæ † voluntate superius dicta est, quinta iterum pars separabitur: de qua quinta parte, iudicandi potestas illis indubitata manebit. Sed siue tertia rerum pars, quæ meliorandis filiis impendi præcipitur: siue quinta, quæ pro collatione ecclesiarum, vel libertorum, seu quorumlibet impensione, separari iubetur, de propriis tantundem rebus separabitur. Nam quod quisque ille per auctoritatem percipere meruerit principum, nullo modo in annumeratione huius tertiæ vel quintæ partis quolibet titulo admisceatur: sed iuxta legem aliam, qui hoc à rege perceperint, habebunt licitum, quale voluerint de collatis sibi rebus à principe ferre iudicium. Exheredare autem filios aut nepotes, licet pro leui culpa, illicitum iam dictis parentibus erit. Flagellandi tamen & corripiendi eos quamdiu sunt in familia constituti, tam auo quàm auix, seu patri quàm matri, potestas manebit. Nam si filius filiaue, nepos vel neptis, tam præsumptuosi extiterint, vt auum suum aut auiam, siue etiam patrem, aut matrem, tam grauibus iniuriis conentur afficere, hoc est, si alapa, aut pugno, vel calce, vel lapide, aut fuste, vel flagello percutiant, siue per pedem, vel per capillos, ac manum etiam, vel quocunq; inhonesto casu abstrahere contumeliosè præsumpserint, aut publice quodcunque crimen auo vel auix seu genitoribus suis obiiciat, tales siquidem manifeste cōiucti, & verberandi sunt ante iudicem quinquagenis flagellis; & ab hereditate supradiçtorum, si idem auus aut auia, pater vel mater voluerint, repellendi. Tamen si resipiscentes à suo excessu, veniam à suprà scriptis, quos offenderint, implorauerint, eosque in gratiã receperint paterna pietate, aut rerum suarum successo-



res instituerint: neque prohiberi ab eorum hereditate, neque propter disciplinam, qua correpti sunt, infamiam poterint vllatenus sustinere.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

*De quota parte liceat mulieribus iudicare de dotibus suis.*

**Q**Via mulieres quibus dudum concessum fuerat de suis dotibus iudicare quod voluissent, quædam reperiuntur, spretis filiis vel nepotibus, easdem dotes illis conferre, cum quibus constiterit nequiter eas vixisse: ideo necesse est illos exinde percipere commodum, pro quibus creandis fuerat assumptum coniugium. Denique constituentes decernimus, vt de dote sua mulier habens filios vel nepotes, seu causa mercedis ecclesiis vel libertis conferre, siue cuiunque voluerit, non amplius quam de quarta parte, potestatem habeat. Nam tres partes legitimis filiis aut nepotibus, seu sit vnus siue forsitan plures, absque dubio relictura est. De tota interim dote, tunc facere quid voluerit, erit mulieri potestas, quando nullum legitimum filium filiamve, nepotē vel nepotem superstitem reliquerit. Verumtamen feminas, quas contigerit duobus viris aut amplius nubere atque ex eis filios procreare, non eis licitum erit dotem ab alio marito acceptam, filiis aut nepotibus ex alio viro genitis dare: sed vnusquisque filius filiamve, nepos aut neptis, ex ipsa linea procreati, dotem, quam auus aut pater illorum concesserat, post mulieris obitum per omnia consequuturi sunt.

III. FLS. CHDS. REX.

*De his que parentes tempore nuptiarum filiis dederint.*

**Q**uicquid indiscreta parentum voluntate decernitur, legali necesse est vt censura coerceatur. Idcirco, quia plerumq; parentalitatis calliditas exigit, id tempore nuptiarum filiis donare, quod quocumq; voluerint auferēdi habeant potestatem: abrogata deinceps eadem qua prædictum est, parentalitatis calliditate, hanc perpetim legem mansuram per omnia nouerint: vt si quid seu per traditionem rei, seu per scripturam, siue donationem cuiuslibet rei, vel coram testibus traditæ, extra quod in ornamentis vel vestimentis, vel reliquis speciebus, sicut fieri assolet, pro dignitate nuptialium fœderum, ab aliis fuerit fortasse acceptum, quod vtiq; commodantibus erit reddendum, in mancipiis, terris, vineis, ædificiis, vestimentis atque ornamentis, fuerit à parentibus, siue nuptiarum tempore, siue post nuptias, filiis quocumque modo donatum, quodcumque inde filii iudicare voluerint in seorum consistat arbitrio. Eodem tantum ordine reseruato, vt post parentum obitum, dum filiis paruerit adeunda successio, excepto hoc quod parentes filiis suis iuxta leges fortasse donauerint, eadē inter heredes cœquatio fiat: vt quod nuptiarum tempore filius vel filia à parentibus iuxta prædictū ordinē, possidendū accepit, & licentia sit illi exinde quod voluerit iudicandi, & post parentum obitum, ad rationem adhibita, contropactis his, quæ tempore nuptiarum promeruit, atque heredibus cæteris eadem compensata æqualitate, quicquid superesse de parentum hereditate constiterit, æqualiter teneant, ac sequantur diuisione.

IIII. FLS. CHDS. REX.

*De filiis ex diuersis parentibus natis, & qua discretione parentum assequantur hereditatem.*

**S**I prouenerit vnum virum plures habere uxores, atque ex omnibus filios procreare, & aliquem filiorum aut filiarum contingat intestatum ab hac vita discedere; facultatem eius, si filios non reliquerit aut nepotes, illius fratres aut sorores apprehensuri sunt, sibiq; vindicaturi, quos ex vno patre vel ex vna matre constat esse progenitos. Quod si ex vno patre & diuersis matribus filii nati fuerint, facultates quæ de patre venerint, illi tantū inter se erunt æqualiter diuisuri, qui ex vno patre fuerint procreati. Similiter & si de vna matre & diuersis patribus filii nati fuerint, id præcepimus obseruari. Nam & si vna mulier de pluribus maritis filios habeat, similiter fratrum sororumque hereditatem, tam à paterna quam à materna successione sibi debitam, eorum qui ex his intestati, vel absque prole siue nepotibus discesserint, illius tantum fratres vel sorores habituri sunt, qui vnus patris, vel matris filii filiamve fore noscuntur. Ita vt iuxta aliam legem qua constitutum est, trientem nepotes non perdere, licitum sit etiam nepotibus aut neptibus, qui patres aut matres amiserint, in omni facultate auorum vel auiarum, cum patruis aut auunculis æquales succedere. Illo tantum



cum ordine permanente, quo superius decretum est, parentes vel auos de rebus suis filios nepotesque meliorare, aut in extraneam personam quamlibet quodcu nque conferre.

## V. CHDS. REX.

*De his quæ filii patre viuentē vel matre videntur acquirere.*

**F**ilius qui patre vel matre viuentē aliquid adquisierit de munificentia regis, aut patronorum beneficiis promeruerit, & exinde aliquid cuicunque vendere vel donare voluerit, iuxta eam conditionem, quæ in aliis nostris legibus continetur, in ipsius potestate consistat. Nec sibi aliquid, dum viuit, exinde pater vel mater vindicare præsumat. Quod si inter leudes quicunq; nec regis beneficiis aliquid consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de labore suo aliquid adquisierit: si communis illi victus cum patre est, tertia pars exinde ad patrem perueniat: duas autem filius qui laborauit optineat.

## VI. IN NOMINE. FLS. GLS. WABA. REX.

*De coercitione pontificum, qui pro rebus quas à suis ecclesiis auferunt tricennium intercessisse causantur.*

**D**eus iustus iudex, qui iustitiam intemporaliter diligit, non vult seruire iustitiam temporari, sed tempora potius æquitatis lege concludit. Ipse igitur Deus, iustitia est. Deo ergo datur, quicquid à fidelibus in Dei ecclesiis iustissima deuotione offertur. Nā & fidelis quisque iustitiæ seruiens, Deo mediante, qui iustus est, vota sua astringit. Semper enim iusta vota soluenda sunt, quæ à iustitia processerunt, & per iustitiam illigata noscuntur. Deo igitur fraudem facit, qui iustitiæ aliquid subtrahit. Ergo & iustitiam rescindit, quisquis aliena vota corrumpit. Cum igitur, vt dictum est, Deus iustitia sit, qua præsumptionis insania agitur, vt de manu Dei quis auferat, quod tricennali temporum præscriptione se tenuisse contendat? Multorum enim mentes pontificum, illicito cupiditatis ausu præcipites, quædā de his, quæ in eorum diocæsi fundatis ecclesiis, pia fidelium oblatione donantur, insatiabili rapacitatis studio, aut † iuri ecclesiæ principalis innectunt, aut donanda aliis vel sub stipendio habenda distribuunt; sicque non solum aliena dirumpunt, sed & sacrilegium operantur. in eo quod ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Ecclesiam quippe fraudare, sacrilegium esse à maioribus approbatur. Vnde & cum eos euidentis ratio persuadeat ad reddendū, aut tricennium in re possessa opponunt, aut non se fecisse respondent, quod decessores suos egisse non nesciunt, & tamen scita emendare refugiunt. Sicq; cupiditatem tricennio fouent, & rapacitatis studia temporum proscritionibus cumulant: & qui admissum facinus ad momentum delere debuerunt, annosa id oppositione solidare contēdunt. Quante igitur impietatis ille credendus est, qui ad hoc laborat, ad hoc etiā propositionis suæ voces exaggerat, vt per tricennium se recognoscat, Deo iniuriam intulisse, quam tamē exacto tricennio reuatur emendare? Nunc verò cū hæc & talia nequissima, iustitiæ defensione prolata sint; nos tamen non præterita ordinamus, sed futura disponimus: nec præcedentium regum, sed nostri regni tempora definimus. Abrogata ergo deinceps totius cupiditatis licentia, nulli pontificum ultra licebit quicquam ab ecclesiis diocæsis suæ auferre, aut ablatum quodcu nque per oppositionem tricennii vindicare. Non enim in hac causa deinceps tricennale tempus accipiendum est: sed quodcu nque fuerit veritatis origo monstrata, iustitiam partis suæ recipiat. Quia & vt multiplex annorum series sine repetitione pertranscat, facit hoc præeminentis dura potestas: quæ sic subdita sibi sacerdotum comprimit colla, vt pro ablatiis rebus intendere contra præeminentis personam nec audeant nec præsumant. Proinde ne talium silentio vox perenniter spoliatae ecclesiæ conuiescat, licitum erit, huius præsumptionis admissam & per quemcu nque & quodcu nque accusatum detegi, & imminentis ipsius causæ negotium expediri: sub isto videlicet ordine, vt si heredes fundatores ecclesiæ adsunt, ipsi talia prosequantur. Si autem non fuerint, aut etiam si sint, causare tamen noluerint, tunc ducibus vel comitibus, typhadis atque vicariis, siue quibuscu nque personis, quos cognitio huius rei attigerit, & aditus accusandi & licentiā tribuitur exequendi. Quicunq; ergo episcoporum hæc quæ missa sunt in præteritis fecerit, & tricennium iam in hac peruersa possessione impleuerit, ea ipsa quæ in præteritis per xxx. annos tenuit, Deo potius vindicanda relinquimus, quàm nostro rescindenda iudicio de finimus. Quicunq; verò vsq; ad tempus, quo lex ista conderetur, in hoc ipsum quod r. puit, tricennium non



impleuit; rem ipsam, quæ ablata est sine aliqua satisfactione, in omni integritate ecclesie, cui testata est, reformare cogatur. Iam vero à die huius latæ legis vel tempore, quicumq; pontificum de hi: quæ à fidelibus in Deo ecclesiis testata vel collata esse noscuntur, aliquid exinde abstulerit, suoq; iuri vel ecclesie principali, seu cuiusq; personæ quolibet modo quodcumq; tale concesserit, nulla temporū lōgæuitate securus, iuxta præmissum ordinem quandocumq; & per quemcumq; talia fuerit commississe detectus, ea ipsa quæ præsumpsit, vna cum legitima satisfactione rei propriæ, illi ecclesie cui tulit vel in quam deliquit, reformare cogendus est. Quod si de rebus propriis non habuerit vnde componat, in omni integritate ea quæ præsumpsit, ecclesie cui tulit, restituat: & ipse pro excessibus suis, iuxta canonem Toletani Concilii vndecimi, excommunicationis plectendus erit sententia. † Id est, vt si decē solidos rē ipsam quā tulit valere cōstituerit, xx. dierū pœnitentiæ satisfactione admissum facinus expurgabit. Similiter siue maioris sit prerū, siue minoris, q̄ præsumpsit, geminata hoc sēper dierū satisfactione vel pœnitētia emēdabit. Simili quoq; & ille sententiæ vel dāpno multādus est, qui à decessore suo ablata deinceps quæcumq; diocœsanis ecclesiis, apud se tenere præsumpserit. Quicumque tamen iudicum tenorem huius legis adimplere neglexerit, quo aut iudicare talia differat, aut iudicanda regiis auditibus nullo modo innotescat, omnem rei taxationem, quam episcopus ille persolvere debuit, qui talia fecerit, totam ecclesie illi de sua idem iudex proprietate debet componere, cuius accusatum sibi negotium destitit iudicare. Hæc igitur lex, non solum pro rebus, quæ in ecclesiis absolutis vel diocœsanis collatæ sunt, obseruabitur: sed sub generali nomine omnium ecclesiarum, id est, tam in monasteriis virorum quàm etiam feminarum, omnimoda constitutione complebitur: Id tamen adiciendū huic legi manifesta ratio persuasit, vt episcopi omnes quoscumq; per ecclesias † siue diocœsis sacerdotes rectoresq; ordinādos elegerint, cognitores eos efficiant de utilitatib. ecclesie illius, in quib. fuerint ordinati. Id est, vt quicquid vnusquisq; episcoporum de scripturis ecclesie diocœsis suæ apud se conseruationis causa habere se nouerit, mox rectorem ecclesie cuiuslibet prætulerit, statim ei, quem ordinauerit, utilitates ecclesie vel scripturas in manifestam cognitionem deducat, necnon tantum ignorantia ordinati, sed quod peius est obcelatione vel vitio ordinantis voluntas in quocumque lateat restatoris. Id tamen erit, vt & competentia sibi sacerdotes rectoresque ecclesiarum † authentica videant, & aut exemplorum ipsorum exemplaria manu sui episcopi roborata pro omni firmitate à pontifice suo accipiant: qualiter per ea ipsa exemplaria, & negotia ecclesie sibi commissæ absque hæsitacione proponant, & veritatem partis suæ iustitia intercurrente recipiant. Data & confirmata lex, à die vndecimo Calendarum Ianuariarum, anno fœliciter quatto regni nostri, in Dei nomine Toletō.

VII. FLS. GLS. GABA. REX.

*Ne hi qui retento obsequio ecclesie manumittuntur, ingenuarum personarum audeant adire coniugium.*

**M**agna est confusio generis, vbi dissimilitudo vnius parentis, statum degenerat progenitæ prolis. Hoc enim necesse est, vt inueniatur in frutice, quod tractum est ex radice. Quomodo enim absoluti decoris titulum reportabit, cuius parentes obligatio † adhuc innexa constringit? Et hæc quidem præmissa sunt, pro eò quod multi de familiis ecclesiarum libertate donantur, nec tamen absolutæ libertatis licentia potiuntur: in eò quod illi ecclesie, de qua originem ducunt, per obsequium illigantur: qui tamen dū † diuerso ordine ingenuarum personarū connubium expetunt, contra naturam, quod ipsi non possunt, generare intendunt; & quod in augmentum publicæ utilitatis debuit crescere, hoc in manifestam illigationem personæ vel rerum cognoscitur deuenire: dum is, qui de tam infami coniugio nascitur, inferioris parentis\* exequens sexum, vna cum rebus suis omnibus ecclesiasticæ seruituti addicitur. Quapropter vt talis de cætero amputetur præsumptio, præsentī lege præcipimus: vt quicumque de familiis ecclesie retento patrocinio ecclesie ipsius, de cuius seruitute exiuit; libertatem à sacerdote acceperit, ingenuam sibi non audeat in matrimonio sociare personam. Illi tamen absoluti ab obsequio ecclesie, per canonicam sententiam debito ordine manumittuntur, & ingenuarum mulierum innecti copulis poterunt, & in prole omnimodæ dignitatis testimonium optinebunt. Quod si hi qui sub ecclesiarum obsequio manumissi sunt, ingenuarum mulierum deinceps ausi fuerint se coniugio sociare: vbi hoc primum iudex agnouerit, sub trina verberum ultione vel com-

\* Ideo.

† Sum.

† authentica  
uorum.

† ad hoc.

† peruerso.

† absque.



monitione, sicut de ingenuis & seruis lege alia cōtinetur, eos separare nō differat. Quōd si ab inuicem separari nōluerint, vnius cuiusq; personæ, sicuti fuerat conditione manēte; quicquid ex illis natum fuerit, in principis potestate seruiturum deueniat. Res tamen omnes siue facultates, quæ de persona ingenua in talium libertorum iure quolibet modo transfusæ sunt, cum his etiam quæ sibi ex talium sexu progenitus filius potuit profligare, conquirere vel habere, totas in integrum aut heredes illius ingenuæ personæ, qualiter iudicare de his quid voluerit absolutæ potestatis potiatur licentia. Hæc lex non solum in viris, sed & in feminis obseruanda est: id est, siue sit libertus ecclesiæ siue liberta, quæ sibi personam ingenuam sociare præsumat. Hoc tamen in hac lege seruandum est, vt quicumque de præteritis vsque modo quo hæc lex conderetur, de talibus parentibus repperiti fuerint intra tricennium generati non obligationem sequantur illius parentis, qui ecclesiæ per obsequium illigatur; sed conditione omnimodæ ingenuitatis assumpta, cum omnibus rebus, quæ de parente nobili in ignobili parente quolibet modo transferant, in ingenuitatis forma, vel decore absoluti persistant. Data & confirmata lex à die decimo Kalendarum Ianuariarum, anno feliciter quarto regni nostri Toletō.

## DE TRANSACTIONIBVS, LIBER QVINTVS.

Titul.

### DE ECCLESIASTICIS REBVS.

- I. De donationibus ecclesiis datis.
- II. De conseruatione & redintegratione ecclesiasticæ rei.
- III. De venditionibus & donationibus ecclesiasticarum rerum.
- III. De rebus ecclesiæ ab his possessis, qui sunt ecclesiæ obsequiis mancipati.

I. FLS. GLS. RCDS. REX:

*De donationibus ecclesiis datis.*

**S**I famulorum meritis iustè compellimur debitæ compensare luera mercedis, quanto iam copiosius pro remediis animarum diuinis cultibus, & terrena debemus impendere, & impensa legū soliditate seruare? Quapropter quæcunq; res sanctis Dei basilicis, aut per principum, aut per quorumlibet fidelium cognationes collatæ reperiuntur, votiuè ac potentialiter pro certis censemus, vt in earum iure, in reuocabili modo, legum æternitate firmentur.

II:

*De conseruatione & redintegratione ecclesiasticæ rei.*

**C**onsultissima regni nostri credimus prouenire remedia, dum pro vtilitatibus ecclesiarum, quæ debeant opseruari nostris inferi legibus præcipimus. Ideoque præsentis sanctione censemus, vt mox episcopus fuerit ordinatus, statim rerum inuentarium de rebus ecclesiæ, præsentibus quinque ingenuis viris, facere non moretur. Quod inuentarium de rebus ecclesiæ, ingenui viri coram quibus factum fuerit, sua subscriptione corroborent. Post episcopi vero ipsius obitum, dum alter fuerit episcopus ordinatus, secundum rerum inuentarium, res requirat ecclesiæ: & si aliquid diminutum de rebus ecclesiæ prouenerit; proprii heredes episcopi, vel quibus facultas eius pertinere vel relicta esse videatur, de præcedenti satisfaciant facultate. Quod si & aliquid de rebus ecclesiæ vendere præsumperit, succedens episcopus, reddito precio quod à venditore susceptum est cum omni augmento, rem ad eam reducat ecclesiæ, & nullam calumniã pertimescat. Quam legem & de presbyteris vel diaconibus, sicut superius scriptum est, in omnibus obseruari & valere præcipimus.



## III. ANTIQVA.

*De venditionibus & donationibus ecclesiasticarum rerum.*

**S**I quis episcopus aut presbyter, vel quicumque ex clericis, præter consensum cæterorum clericorum, aliquid de rebus ecclesiæ vendiderit vel donauerit, hoc firmum non esse præcipimus: nisi ita fuerit facta venditio siue donatio, quemadmodum sanctorum canonum instituta constituunt atque decernunt.

## III. ANTIQVA.

*De rebus ecclesiæ ab his possessis qui sunt ecclesiæ obsequiis mancipati.*

**H**eredes episcopi seu aliorum clericorum, qui filios suos in obsequium ecclesiæ commendauerint, & terras vel aliquid ex munificentiâ ecclesiæ possederint: si ipsi in laicos reuersi fuerint, aut de seruitio ecclesiæ, cuius terram vel aliquam substantiam possidebunt, discesserint, statim, quæ possidebant amittant. Sed & in omnibus clericis, qui de rebus ecclesiæ quæcunque possederint, seruetur hæc forma: ne quamuis longa possessio dominium ecclesiæ à rebus libi debitis quandoque secludat, quia & canonum auctoritas ita commendat. Sed & viduæ sacerdotum vel aliorum clericorum, quæ filios in obsequium ecclesiæ commendat, pro sola miseratione, de rebus ecclesiasticis, quas pater tenuit, non efficiantur extorres.

## II. TITVLVS.

## DE DONATIONIBVS GENERALIBVS.

- I. *Ne valeat violenter facta donatio.*
- II. *De donationibus Regis.*
- III. *De rebus marito vel uxori à Rege donatis.*
- IV. *De rebus extra dotem uxori à marito collatis.*
- V. *De rebus à marito mulieri concessis, vel si mulier fuerit adulterasse detecta.*
- VI. *De rebus traditis, vel per scripturam donatis.*
- VII. *De rebus inter maritum & uxorem inuicem datis.*

## I. ANTIQVA.

*Ne valeat violenter facta donatio.*

**D**onatio quæ per vim & metum fuerit extorta, nullam habeat firmitatem.

## II. FLS. CHDS. REX.

*De donationibus Regis.*

**D**onationes regis potestatis, quæ in quibuscunque personis conferuntur, siue collatae sunt, in eorum iure consistant, in quorum nomine eas potestas contulerit regia: ea videlicet ratione, vt ita huius regalis munificentiae collatio adtributa, in nomine eius, qui hoc promeruit, transfusa permaneat: vt quicquid de hoc facere vel iudicare voluerit, potestatem in omnibus habeat. Quòd si e iam is qui hoc promeruerit, intestatus discesserit; debitis secundum legem heredibus res ipsa successionis ordine pertinebit, & infringi collatae munificentiae gratia nullo modo poterit: quia non oportet principum statuta conuelli quæ conuellenda esse præcipientis culpa non fecit.

† per.

## III. ANTIQVA.

*De rebus marito vel uxori à Rege donatis.*

**S**peciali iure decernitur, vt de rebus regia collatione collatis, si in nomine mariti fuerit conscripta donatio, nil sibi exinde mulier, excepto quod in dote percepit, debeat vindicare. Ideoque & si in nomine mulieris inuenitur facta donatio, nihil sibi vir exinde post eius obitum adtemptet aliquatenus vsurpare, vel iuri proprio mancipare, nisi quod meruerit vxoris largitate percipere.

## III. ANTIQVA.

*De rebus extra dotem uxori à marito collatis.*

**S**i mulier à marito extra dotem, de quibuscunque rebus quacunque donatione vel profligatione conquisitis aut illi debitis, quocunque tempore, quocunque donatum acceperit, si filii de eodem coniugio fuerint procreati, mulier vsque ad diem obitus sui, & secundum voluntatem vel ordinationem testatoris secura possideat, & de quinta tantundem parte earum rerum faciendi quod voluerit potestatem optineat. Fru

ctus

Etus tamen sicut testator ipse, qui hoc testauit, expendendi vel vtendi potestatem habere potuit: ita & illa quæ vsu hoc ad possidendum percepit, omnia dum aduixerit, sine cuiuslibet inquietudine, suis incunctanter vtatur expensis, si tamen idem testator aliquam specialem testationem de ipsi frugibus non instituerit. Post obitum vero suum, reliqua integra & intemerata filiis ex ipso viro procreatis derelinquat, & nulla occasione cuiquam exinde, excepta vt dictum est quinta parte, quicquam alius mulier alienare præsumat. Quod si ex ipso coniugio filii non fuerint procreati, quicquid mulier de rebus sibi donatis, iuxta præscriptum testatoris ordinem facere elegerit, liberam habeat potestatem. Cæterum si intestata discesserit, ad maritum eius, si superstes extiterit, donatio reuertatur. Si autem maritus non fuerit, ad heredes mariti qui donationem conscripsit, eadem donatio pertinebit. Similem rationem de viris præcipimus custodiri, de his quæ ab vxoribus tempore quocunque donata præceperint.

## V. ANTIQVA.

*De rebus à marito mulieri concessis, vel si mulier fuerit adulterasse detecta.*

**M**aritus si vxori suæ aliquid donauerit, & ipsa post obitum mariti sui in nullo scelere adulterii fuerit conuersata, sed in pudicitia permanserit, aut certe si ad alium maritum honesta coniunctione peruenerit, de rebus sibi à marito donatis possidendi & post obitum suum, si filios non habuerit, relinquendi cui voluerit, secundum voluntatem testatoris habeat potestatem. Cæterum si filios non relinquens intestata discesserit, aut ad maritum eius, si superstes extiterit, aut heredes mariti qui donationem conscripsit, eadem donatio pertinebit. Si autem per adulterium seu per inhonestam coniunctionem se miscuisse conuincitur, quicquid de facultate mariti sui fuerit consecuta, totum incunctanter amittat, & ad heredes donatoris, vel ad filios legitimos reuertatur.

## VI. FLS. CHDS. REX.

*De rebus traditis vel per scripturam donatis.*

**R**es donatæ, si in præsentem traditæ sunt, nullo modo repetantur à donatore. Quod si etiam prouenerit, vt quod donatur sit longe positum, pro eo donatio euacuari non poterit: quia tunc videtur vera esse traditio, quando iam apud illum scriptura donatoris habetur, in cuius nomine conscripta esse dinoscitur. Hoc tantum obseruandum est, vt si donator dixerit, nec dedisse nec direxisse scripturam, sed sublatam sibi fuisse: tunc ille, cui res donatæ sunt, per testem conuincat, ab ipso donatore eandem rem aut traditam sibi aut directam, vel ex eius voluntate in potestate sua redactam: & dum probauerit stabilis habeatur. Quod si probare neglexerit, tunc ille qui scripturam fecerit, iuraturus est, quia eandem scripturam, neque per se dedisset, neque direxisset, neque per voluntatem suam factum esset vt eadem scriptura in manus eius veniret, a quo eam videtur repetere: & sic in valida remanebit, si tamen qui donauit voluerit. Illud sane addi placuit, vt si quisque scripturam de suis rebus in quibuslibet personis addiderit, si eam viuendo illi in cuius nomine scripta est non tradiderit, quamlibet tradita non sit, tamen dum post eius obitum repperita fuerit, ille sibi eam vindicabit cum omnibus rebus, quæ ibi conscriptæ sunt, in cuius nomine dator eam fieri voluisse agnoscitur. Quoniam iustum omnino est, vt talis scriptura robur plenitudini habeat, quam viuens donator ita saluauit, vt nequaquam videatur aliquatenus immutata. Nam si scripturam ipsam vel rem conditor, dum viueret nullo modo tradiderit, sed apud se retinuit, & voluntatem suam postmodum immutauit; illud potius firmissimum erit, quod post testationem non traditæ scripturæ definisse cognoscitur. Quod si ipsum, cui res donatæ fuerant, fatalis casus ab hac vita subduxerit, antequam rem sibi donatam caperet, ad donatorem vel ad heredes donatoris res ipsa pertineat. Qui verò sub hac occasione largitur, vt eandem rem ipse qui donat vsufructuario iure possideat, & ita post eius mortem ad illum cui donauerit res donata pertineat: quia similitudo est testamenti: habebit licentiam immutandi voluntatem suam quando voluerit, etiam si in nullo læsum fuisse se dixerit. Ille vero qui falsa donatione circumuentus, aliquid in utilitate donatoris expenderit, aut ab ipso donatore recipiat, aut ab eius heredibus: ne iniuste dampna sustineat, qui lucrum se habere de inani promissione putabat. Certe si quisquis ille rem donatam, siue per traditionem conditæ scripturæ, siue per consignationem vel traditionem rerum, in iure suo perceperit, & complacuerit ei vt donator rem ipsam per voluntatem eius qui eam donatam percepit possideat, iam si in postmodum fortasse contigerit, vt ipse qui rem donatam perceperat, viuente donatore moriens, ab hac vita discedat, quicquid de re sibi donata iudi-



care voluerit licentiam habeat. Quod si intestatus discesserit, non ad donatorem, sed ad heredes eius qui rem donatam percepit, res eadem sine dubio pertinebit.

## VII. ANTIQVA.

*De rebus inter maritum & uxorem inuicem datis.*

**M**aritus si vxori suæ aliquid donauerit, de hoc quod ipsa habere voluerit, scripturam manus suæ subscriptione vel signo confirmet: ita vt duo aut tres testes ingenui subscriptores vel signa facientes accedant, & sic voluntas ipsius habeat firmitatem. Similis & de vxoris voluntate, quæ in maritum conferre voluerit, donationis hæc forma seruetur: si tamen violenter à viris non fuerit exacta donatio. Seruata legum in omnibus sanctione, quæ in discendis facultatibus dinoscitur ordinata consistere. 10

## III. TITVLVS

## DE PATRONORVM DONATIONIBVS.

- I. *Si is qui in patrocínio constitutus est, vel filii eius, patronum vel filios patroni relinquat.*
- II. *De armis quæ dantur saionibus in patrocínio constitutis, & de acquisitionibus eorum.*
- III. *De rebus in patrocínio conquisitis, vel à patrono collatis.*
- IV. *De rebus in patrocínio acceptis & conquisitis.*

## I. ANTIQVA.

*Si is qui in patrocínio constitutus est, vel filii eius, patronum aut filios patroni relinquat.*

**S**i quis ei quem in patrocínio habuerit, arma dederit, vel aliquid donauerit, apud ipsum quæ sunt donata permaneant. Si vero alium sibi patronum elegerit, habeat licentiam cui se voluerit commendare. Quoniam ingenuo homini nõ potest prohiberi, quia in sua potestate cõsistit: sed reddat omnia patrono, quem deseruit. Similis & circa filios patroni vel filios eius qui in patrocínio fuit, forma seruetur: vt si tã ipse qui in patrocínio fuit, q̃ filii ei⁹, filiis patroni obsequi voluerint, donata possideant. Si vero patroni filios vel nepotes ipsi nolentib. crediderint relinquendos, reddant vniuersa quæ parentibus eorum à patrono donata sunt. Quicunq; autem in patrocínio constitutus, sub patrono aliquid acq̃sierit, medietas ex omnibus in patroni vel filiorum ipsius potestate cõsistat. Aliam verò medietatem idem buccellarius, qui acq̃sivit, optineat. Quòd si buccellarius filiam tantummodo reliquerit, & filium non reliquerit, ipsam in potestate patroni manere iubemus: sic tamen vt ipse patronus æ qualẽ ei prouideat, qui eam sibi possit in matrimonio sociare, & quicquid patri vel matri fuerit datum ad eam pertineat. Quòd si ipsa sibi contra voluntatem patroni inferiorem fortẽ maritum elegerit; quicquid patri eius à patrono fuerat donatum vel à parentibus patroni, patrono vel heredibus eius restituat. 40

## II. ANTIQVA.

*De armis quæ dantur saionibus in patrocínio constitutis, & de acquisitionibus eorum.*

**A**rma quæ saionibus pro obsequio donantur, nulla ratione à donatore repetantur. Sed illa, quæ dum saio est acq̃sivit, in patroni potestate consistant.

## III. ANTIQVA.

*De rebus in patrocínio conquisitis, vel à patrono collatis.*

**S**icut superius dictum est, si quis cum aliquo patrocinii causa consistat, & aliquid dum cum eo habitat, acq̃sierit: si ei inueniatur infidelis, vel eum de relinquere voluerit, medietas acq̃sita rei patrono tradatur. Aliam verò medietatem qui acq̃sivit optineat, & quicquid ei ipse donauit recipiat. 50

## III. ANTIQVA.

*De rebus in patrocínio acceptis & conquisitis.*

**J**Ta, vt suprã præmissum est, quicunque patronum suum reliquerit, & ad alium tendens

dens forte se contulerit, ille cui se commendauerit, det ei terram. Nam patronus quem reliquerit, & terram & quæ ei dedit optineat.

## III. TITVLVS.

## DE COMMVTATIONIBVS ET VENDITIONIBVS.

- I. *Vt ita valeat commutatio sicut & emptio.*
- II. *Vt si non fuerit idoneus venditor, fideiussor detur.*
- III. *Ne valeat violenter facta venditio.*
- IV. *Si arris datus pretium non fuerit impletum.*
- V. *Si pars pretii data non fuerit.*
- VI. *Si fraus in pretio rei vendita fiat.*
- VII. *Si dicat quis rem suam vili precio vendidisse.*
- VIII. *De his qui aliena vendere vel donare presumpserint.*
- IX. *Quod rem in contentione positam non liceat vendere vel donare.*
- X. *Si se permittat ingenuus venundari.*
- XI. *De viris ac mulieribus ingenuis seruo vel ingenuo venditis.*
- XII. *Non liceat parentibus filios suos quocunq; contractu alterius dominio subiugare.*
- XIII. *De seruorum rebus venditis.*
- XIV. *Si seruus venditus in priorem dominum crimen obiiciat.*
- XV. *Vt serui venditi facultatem dominus querat.*
- XVI. *Si seruus sit de suo peculio emptus.*
- XVII. *Vt nullus seruum suum vendat inuitus.*
- XVII I. *Si seruus pro quocunq; crimine qualicunq; contractu ad dominium transierit alterius.*
- XVIII. *De non alienandis priuatorum & curialium rebus.*
- XX. *Si res illa vendatur aut donetur, quæ prius debuerat per iudicium optineri.*
- XXI. *De mancipiis ab hostibus occupatis ac venditis.*
- XXII. *Quod presens liber debeat precio comparari.*

## I. ANTIQVA.

*Vt ita valeat commutatio sicut & emptio.*



COMMVTATIO si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

## II. ANTIQVA.

*Vt si non fuerit idoneus venditor, fideiussor detur.*

SI venditor nõ fuerit idoneus, ingenuum fideiussorem dare debet emptori & emptio habeat firmitatem.

## III. ANTIQVA.

*Ne valeat violenter facta venditio.*

VENDITIO per scripturam facta plenam habeat firmitatem. Ceterum si etiam scriptura facta non fuerit, & datum precium presentibus testibus comprobetur, plenum habeat emptio robur. Venditio verò si fuerit violenter & per metum extorta, nulla valeat ratione.

## IV. ANTIQVA.

*Si arris datus precium non fuerit impletum.*

QUI arras pro quacunq; re acceperit, id cogatur implere quod placuit. Emptor verò si per ægritudinẽ aut grauẽ necessitatem, quæ vitari non potuerit, ad constitutum non occurrerit diem, quem voluerit pro se dirigat, qui precium tempore definito ꝑ percomplaceat. Quòd si ad constitutum diem nec ipse successerit, nec pro se dirigere voluerit, arras tantummodo recipiat quas dedit, & res definita non valeat.

## V. ANTIQVA.

*Si pars precii data non fuerit.*

SI pars precii data est, & pars promissa non adimpletur, non propter hoc venditio facta rumpatur. Sed si emptor ad placitum tẽpus non exhibuerit precii reliquam portionem, pro precii parte quam debet, soluat vsuras: nisi hoc fortẽ conuenerit, vt res empti venditori debeat reformari.



*Si fraus in precio rei vendita fiat.*

**S**I in contractu venditionis, minus precium datum fuerit, & per fraudem aut etiam contra voluntatem vendentis amplius datum precium nunciatur: quantum de iusto precio fraudatum est, tantum duplum emptor restituat venditori.

## VII.

*Si dicat quis rem suam vili precio vendidisse.*

**V**enditionis hæc forma seruetur: vt seu res aliqua, vel terræ, siue mancipia, vel quodlibet animalium genus venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, eo quod dicat rem suam vili precio vendidisse.

## VIII. ANTIQVA.

*De his qui aliena vendere vel donare præsumpserint.*

**Q**uotiens de vendita vel donata re contentio commouetur, id est, si alienam fortasse rem vendere, vel donare quemcunque constiterit, nullum emptori præiudiciū fieri poterit: sed ille, qui alienam fortasse rem vendere aut donare præsumpserit, duplā rei domino cogatur exsoluere. Emptori tamen precium quod accepit redditurus, & penā quam scriptura continet impleturus: & quicquid in profectu comparatæ rei emptor, vel qui donatum accepit, studio suæ utilitatis acceperat, a locorum iudicibus æstimetur: atque ei qui laborasse cognoscitur, a venditore vel donatore iuris alieni, satisfactio iusta reddatur. Similis scilicet & de mancipiis, & de omnibus rebus, atque brutis animalibus ordo seruetur.

## IX. ANTIQVA.

*Quod rem in contentione positam non liceat vendere vel donare.*

**R**em in contētionē positam, id est, quam alter aut petere cepit, aut recipere rationaliter poterat, optinere non liceat, nec donare, nec vendere, nec aliquo loco transferre.

## X. ANTIQVA.

*Si se permiserit ingenuus venundari.*

**Q**uicumque ingenuus se vendi permiserit, & precium cum venditore partitus est, vt circumueniret emptorem, proclamans postea, nullatenus audiatur; sed in ea seruitute, quam voluit, permaneat. Quoniam non est dignus vt liber sit, qui se volens subdidit seruituti. Et tamen si ipse, qui se vendiderit, vel venundari permiserit, precium vnde se redimat habere poterit: aut si parentes eius redemptionem pro eo qui se vendidit, dare elegerint; reddito ad integrum precio, quod pro venditi persona emptor accepit, ad ingenuitatis titulum ille qui se vendiderat, poterit reuocari.

## XI. ANTIQVA.

*De viris ac mulieribus ingenuis a seruo vel ingenuo venditis.*

**S**I ingenuus ingenuum vendere, vel donare præsumpserit, huiusmodi præsumptorem iudex comprehendere non moretur: ita vt ingenuus ille in statum suum redactus centum auri solidos a præsumptore percipiat: aut si non habuerit vnde componat, centum flagellis publice verberatus, in potestate eius seruiturus tradatur, quem vendere vel donare præsumpserat. Seruus vero in ingenuam personam talia facere fortasse præsumens, comprehensus a iudice ducentorum flagellorum ictibus publice verberetur, & decaluatus turpiter, eius perenniter seruitio addicatur. Atque etiam de mulieribus ingenuis venditis vel donatis, huius ordinis forma seruetur.

## XII. ANTIQVA.

*Non licere parentibus filios suos quocunque contractu alterius dominio subiugare.*

**P**arentibus filios suos vendere non liceat aut donare vel oppignerare. Nec ex illis aliquid iuri suo defendat ille qui acceperit, sed magis precium vel sepositionis commo dum

modum quod dederat perdat, qui à parentibus filium comparauit.

XIII. FLS. CHDS. REX.

*De seruorum venditis rebus.*

**R**es iuris alieni sine domini voluntate ab eo qui non habet distrahendi potestatem, alienari non patimur. Ideoque cum promulgata iuris antiqui sanctio non sine domini dispendio seruorum venditiones in irritum præceperit deuocari, prouidentiori decreto consulimus, si leges patrias ad æquitatis regulam redigamus; sicque melius earum statuta corrigere, quam cum eis pariter oberrare. Quapropter si quis seruum vel ancillam alienam sciens, ab eis deinceps, domum, agrum, vineam, seu mancipium, sub quacunque definitione perecepit, donatio siquidem vel sepositio de talibus personis, contracta non valeat. Ita vt nec datum commodum pro sepositio reddatur. Venditio reuocetur, vt emptor precium ex omnibus perdat. Iustè enim quod per ambitionem dederat videtur amittere, qui suo dominio rem census alieni nititur applicare. Prædictæ vero seruales personæ si animalia quælibet bruta vendiderint, seu res quascunque & ornamenta distraxerint, quæ tamen aut sui sint peculii, aut à dominis suis vel aliis negociandi occasione distrahenda perceperint, ita perenniter firma subsistant: vt si dominus eiusdem serui vel ancillæ qui vendidit, rescindere venditionem ipsam voluerit, seu rem domini quæ vendita est, non serui peculium, sed sui esse proprii domini asseruerit, non aliter venditio rescindatur, nisi ille qui rescindendam venditionem proponit aut per testes legitimos, aut per sacramentum suum, non serui peculium sed suum proprium doceat esse quod quærit, & sine voluntate sua venditum fuisse, quod acquirere cupit. Et hoc quidem de vilibus aut paruis rebus: nam de maioribus & necessariis in domini potestate erit infringere aut stabilire negotium.

XIII. ANTIQVA.

*Si seruus venditus in priorem dominum crimen obieciat.*

**S**i quis seruum suum vendiderit, & ipse seruus priori domino aliquod crimen obiecerit, ille qui vendidit, recipiat, quem vendiderat, precium redditurus emptori: vt ipse in seruo suo crimen quod sibi obiectum est inquirere vel vindicare studeat. Id autem & de ancillis præcipimus custodiri. Idem tamen seruus vel ancilla, seu venditi, siue donati, vel commutati, in priorum dominorum capite non torqueantur: neque credatur eis, si in prioribus dominis crimen obiecerint.

XV. ANTIQVA.

*Vt serui venditi facultatem dominus querat.*

**S**i quis seruum suum vendiderit nesciens eius facultatem, habebit inquirendi liberam potestatem, vt sibi vendicet ille qui vendidit, cum potuerit inuenire rem serui venditi.

XVI. ANTIQVA.

*Si seruus sit de suo peculio emptus.*

**S**i seruus de peculio suo fuerit emptus, & hoc dominus eius fortè nescierit, de domini sui potestate non exeat: quia non precium, sed res serui sui dominus dum ignorat accepit.

XVII.

*Vt nullus seruum suum vendat inuitus.*

**S**æpiissimè leges oriuntur ex causis: & cum aliquid insolitæ fraudis existit, necesse est contra notandæ calliditatis astutiam præceptum nouæ constitutionis apponi. Comperimus multorum seruos vel ancillas ad ecclesiam quorundam sollicitatione confugere, & illic de iniusto dominorum imperio sæpiissimè querelari: vt ita intercedentibus clericis, religionis obtentu, domino necessitatem venditionis extorqueant. Hinc etiam plerumque domino error imponitur: vt aut clericus, aut quicumque alius se velut emptor interponat, precium traditurus alienum, & sub huius argumèntatione coludii, interdum domino nesciente seruus vendatur inimico: atque eueniat, vt in vicinia forsitan longa constitutus, cum ille possideat, qui publicæ nullatenus ad contractum venditionis accessit. Proinde hac lege profutura omnibus sancimus, vt nullus seruum suum vendat inuitus. Sed clericus aut ecclesiæ custos, sicut in aliis legibus continetur, ex-



cusatum a culpa domino seruum amota dilatione restituat. Satis enim videtur indignum, ut in eo loco serui contumaciam rebellionis assumant, vbi castigationis disciplina & obtemperandi prædicantur exempla. Si quis itaque dominum suum in hunc inducit errorem, precium qui per suppositam personam comparauit amittat. Quod ille aut ipso commercii tempore, quo inducebatur, vsurper, suæ proprietati habiturus: aut si hoc postea quam fuerat inductus agnouerit, iudicis exequutione percipiat, & seruum nihilominus suæ vendicet potestati. Is autem qui se ministrum fraudulenter venditioni ingessit, alium parisi meriti seruum domino cui instruxit insidias reformare cogatur: & tam notandæ fraudis improbitas, præcepti huius coerceatur obiectu.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

*Si seruus pro crimine quocunque contractu ad dominium transierit alterius.*

**N**on prætermittendum est legali sanctione decernere, vnde plerumque impugnationis occasio videatur existere. Idcirco, si criminis reatu seruus obnoxius, ad alterum fortasse dominum donationis, venditionis aut commutationis titulo transierit seruiturus; idem prior dominus aut seruum pro culpa tradere, aut pro eo componere compellendus est. Nam qui talem seruum comparasse dinoscitur, si respondere vel satisfacere pro crimine eius noluerit, hunc priori domino precio recepto restituat, & ipse quoque pro scelere serui, redditurus est petenti responsum, sub cuius dominio seruum confiterit perpetrasse reatum.

XIX. FLS. CHDS. REX.

*De non alienandis priuatorum & curialium rebus.*

**S**i cura rei familiaris omitti non debet, quanto magis vtilitatis publicæ, quam semper exerceri vel augeri necesse est? Curiales igitur vel priuati, qui caballo ponere, vel in arca publica functionem exsoluere consueti sunt, nunquam quidem facultatem suam vendere aut donare, vel commutatione aliqua debeant alienare. Et tamen si contigerit, aut voluntate aut necessitate eos alicui, siue venditione aut donatione, siue commutatione, omnem suam † facultatem dare: ille qui accepit censum illius, a quo accepit exsoluere procurabit, & hanc ipsam summam census, eiusdem scripturæ suæ ordo per omnia continebit. Sed & qui medietatem facultatis talium personarum, vel partem aliquam in mancipiis, terris, vineis, domibusque perceperit, iuxta quantitatem acceptæ rei, functionem publicam impleturus est. Qui autem de talibus personis accipiens, aut per scripturam illius a quo accepit, non ostenderit quid exinde functionis exsoluat, aut vno forsitan anno reddere censum ipsam distulerit: mox regis auditibus siue comitis aut iudicis huius rei actio innotuerit, possessor amisso precio & siquid e contra dederat, id etiam quod accepit ex omnibus perdat. Ita ut principis potestas, seu illi qui dederat reddere voluerit, siue alii fortasse conferre, licentiam habeat. Iphis interim curialibus vel priuatis inter se, vendendi, donandi, & commutandi, cui licitum erit, ut ille qui acceperit, functionem rei acceptæ publicis vtilitatibus impendere non recuset. Nā plebeis glebam suam alienandi, nulla vnquam potestas manebit. Amissurus proculdubio precium vel si quid contigerit accepisse, quicumque post hanc legem, vineas, terras, domosque seu mancipia, ab officii huius hominibus accipere quodocunque præsumserit.

XX. ANTIQVA.

*Si res illa vendatur aut donetur quæ prius debuerat per iudicium optineri.*

**S**i quis rem, quæ est per iudicium repetenda priusquam aduersarium iudicialiter superet, ita vendiderit vel donauerit alicui, aut forte tradiderit occupandam, ut absq; audientia iudicis, priuetur dominium possessoris: ipse qui possedit per exequutionem iudicis, rem quæ occupata fuerat statim recipiat, nec de eius postmodum repetitione contendat, etiam si bona sit causa petentis. Ille vero qui hoc vendidit aut donauit, vel occupari præcepit, quod iuste vindicare nullatenus \* poterit; eiusdem meriti rem aut precium ei a quo victus fuerit repensare cogatur: quia rem antequam \* vinceret fecit inuadi.

XXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De mancipiis ab hostibus occupatis vel venditis.*

**Q**uæcunque mancipia de regionibus nostris ab aduersis hostibus extiterint occupata, si ab hominibus regni nostri reperiatur excussa, ille qui ab hoste abstulit, ex quo

vnum-

† facultas  
tulerit\* potuit,  
\* vindicaret

vnunquodq; mancipium valere iuste constiterit, tertiam partem precii habeat, & mancipia domino nihilominus reddat. Quod si venditum ab hostibus mancipium fuerit acceptum, cum iuramento manifestetur precium datum: ac tunc illo qui dedit integrum precium, & quantum mancipium meliorauit acceptum, a domino recipiat, moxque illi suum mancipium inexcusabiliter reddat.

XXII. FLS. CHDS. REX.

*Quo præsens liber debeat precio comparari*

**V**T omnis de cætero & improbitas distrahentis, & dispendium temperari possit emptoris id præsentis sanctione decernitur legis: scilicet vt quotiescunque hunc codicem constiterit venundari, non amplius quam XII. solidorum numerum accipere venditori, vel dare licebit emptori. Si quis verò super hunc precii numerum accipere vel dare præsumpserit, c. flagellorum ictibus à iudice verberari se nouerit.

V. TITVLVS,

DE COMMENDATIS ET COMMODATIS.

- I. De animalibus in custodiam placita mercede susceptis.
- II. De animalibus in angariam præstitis.
- III. De rebus præstitis incendio vel furto exterminatis.
- IV. De pecunia perditâ, & usuris eius.
- V. De rebus commendatis, & casu quocunque in naufragium missis.
- VI. De rebus seruo domino nesciente \* commendatis.
- VII. Si seruus mentiatur dominum petere commodanda.
- VIII. De reddendis usuris.
- IX. De usuris frugum.
- X. Cui debeant testamenta vel scriptura \* commendata restitui.

† commod.  
\* commod.

\* commod.

I. ANTIQVA.

*De animalibus in custodiam placita mercede susceptis.*

**E**I quis caballum vel bouem, aut quodlibet animalium genus placita mercede ad custodiendum suscepit: si id perierit, alium eiusdem meriti, ille qui commendata vel commodata suscepit, exsoluat: si tamen mercedem fuerit pro custodia consequutus, vel pro conducto. Quod si ille qui nullum placitum pro mercede suscepit, rem mortuam esse probauerit, nec ille mercedem recipiat, nec ab illo aliquid requiratur. Ea tamen ratione, vt præbeat sacramentum ille, qui † commodata suscepit, quod non domino per suam culpam neque per negligentiam, animal morte consumptum sit, & nihil cogatur exsoluere. Similis & de \* commodatis forma seruetur.

† commen.

\* commen.

II. ANTIQVA.

*De animalibus in angaria præstitis.*

**S**I quis alicui iumentum aut caballum aut aliud animal præstiterit, & per aliquam ignoratam apud eum qui accepit moriatur, sacramentum præbere debet, quod non per suam culpam neque per negligentiam morte consumptum sit, & nil cogatur exsoluere. Sin autè nimium sedendo, vel fasces earricando, aut quocunque onere vel percussione mortuum fuerit, eiusdem meriti animal domino sine aliqua excusatione restituat. Si verò præstitum animal, alicui aliquid debilitatis intulerit vel dampni, ille componat qui eum apud se susceptum habuisse dinoscitur.

III. ANTIQVA.

*De rebus præstitis incendio vel furto exterminatis.*

**S**I alicui aurum, argentum aut ornamenta vel species fuerint commendatæ, siue custodiendæ traditæ, aut fortè vendendæ: id si perierit, vel in domo ipsius qui accepit cum rebus eius fuerit incendio concrematum, vnà cum testibus veniat, & breuem det ille, qui commendata suscepit, & præbeat sacramentum, quod nihil exinde suis profuisset compendiis, & nihil cogatur exsoluere, excepto auro & argento quod ardere non potuit. Et si quis, dum domum flamma consumit, se quasi auxilium præbiturus ingesserit, & aliquid forte rapuerit, dominus domus diligenter inquirat: & si eum inuenire potuerit, ille qui rapuit in quadruplum rapta restituat: & si de commendatis rebus apud susce-



prorem aliquid fortè repperit, domino restituere non moretur. Si vero quæ commo-  
data fuerant, furto probantur ablata ei qui commendata susceperat, spatium tribuatur,  
vt ordo docet, donec furem sua inuestigatione perquirat: & si eum inuenerit, commē-  
datori res suas proprias tantummodo reformare cogatur. Compositio verò furti ad eum  
qui habuit commendata pertineat. Certè si fur non fuerit infra statutum tempus inuē-  
tus, medietas rerum commendatarum domino à suscipiente reddatur, vt dampnum ex  
medio vterq; sustineat. Et si postmodum dominus rerum apud eum cui commendaue-  
rat, quæ fuerant suppressa fortè repperit, cum hæc ille se prius dixerit perdidisse, vel  
furtim fuisse sublata, sicut fur pro his quæ celauit, secundum legum statuta, compositio-  
nem implere cogatur.

## III. ANTIQVA.

*De pecunia perditâ & vsuris.*

**S**I quis pecuniam sub conditione susceperit, daturus vsuras, si per casum pecunia peri-  
erit, non culpa aut negligentia debitoris: ille qui pecuniam commodauit, solam pe-  
cuniæ summam recipiat, & non requirat vsuras. Si vero per ipsius fraudem vel culpam  
factum est, & pecuniam & vsuras soluat. Quòd si aliqua lucra est ex ea pecunia conse-  
quutus, & postmodum contingat vt pecunia pereat; si tanta sunt lucra quanta pecunia  
fuit, & pecuniam & vsuras restituat.

## V. ANTIQVA.

*De rebus commendatis & casu quocunq; in naufragium missis.*

**Q**ui cōmendata vel cōmodata susceperit, & de ruina aut de incendio vel hostilitatis  
naufragio, seu quolibet simili casu, sua omnia liberauerit, & aliena perdidit, quod  
accepit sine aliqua excusatione cogatur exsoluere. Si vero partē aliquam de rebus pro-  
priis liberasse cognoscitur, illi cuius res secum habuerat, iuxta modum perditæ rei vel  
liberatæ restituat, qualem iudex ratione deducta æstimauerit portionem. Si autem  
sua omnia perdidit, cum liberaret aliena, & de liberatis & de perditis rebus similis ratio  
deducatur, vt partem, arbitrio iudicantis, qui liberauit accipiat. Iustum est enim in simi-  
li casu, vt ille non dampnum solus excipiat, qui se grauibus obiecit periculis; & dum ali-  
ena minora conatur liberare, sua maiora perdidisse cognoscitur.

## VI. ANTIQVA.

*De rebus seruo nesciente domino commendatis.*

**Q**uod nesciente domino seruo fuerit commendatum, si id perierit, nec dominus nec  
seruus vllum dampnum incurrat. Sux enim imputet culpe qui seruo alieno res suas  
commendauerit, domino nesciente. Si vero alicuius animal sit, & per fraudem pastorū  
diminuum repperiatur, hoc reddere compellatur. Similis & de commodatis forma ser-  
uetur, si fraude aut malitia consumpta aut dissipata noscuntur.

## VII. ANTIQVA.

*Si seruus mentiatur dominum petere commodata.*

**S**I dominus per seruum suum quodcunq; sibi petierit commodandū, & seruus eum  
rebus commodatis in fugam fuerit elapsus, tunc dominus obligetur vt commodata  
restituat. Si vero seruus petisse dominū mētiatur, & sic quasi deportada ad dominū susce-  
perit & quæ susceperit aut euerterit, aut forte perdidit, & fugitiuus nō potuerit inueniri:  
dominus serui præbeat sacramentū, se eundē seruū vt susciperet non misisse, & cū id pe-  
teret ignorasse, & nihil calumpniæ pertimescat. Seruum tamen tam dominus quàm ille  
qui commodauit, quærare sollicitè procurabunt. Hæc eadem & de commendatis præci-  
pimus custodire.

## VIII. ANTIQVA.

*De reddendis vsuris.*

**S**I quicumque pecuniam commodauerit ad vsuram, non plus per annum quam tres  
seliquas de vno solido poscat vsuras, si tamen fuerit vnde detur. Sed de solidis octo no-  
num solidum creditori, qui pecuniam ad vsuram dedit, exsoluat: & sic summam pecu-  
niæ & vsuras ille qui dederat, à debitore recipiat. Quòd si cautionem vltra modum su-  
perius comprehensum per necessitatem suscipientis creditor extorserit, conditio cōtra  
leges inserta non valeat. Si quis autem contra ordinationē hanc fecerit, eam rem quam  
commodauerit, recipiat: & quæ cautæ fuerant, in nullo soluantur vsuræ.

Quicumque fruges aridas & humidias, id est, vinum & oleum, vel quodcumque annonę genus alteri commodauerit, non amplius ab eo propter vsuras, quàm tertiam partem accipiat, id est vt super duos modios, qui accepit, tertium reddat. Quam legem, ad solas fruges præcipimus pertinere. Nam de pecunia commodata, secundum superiorem legem valere & obseruare censemus.

## X. ANTIQVA.

*Cui debeant testamenta vel scripturę commendatę restitui.*

Testamentũ ab eo cui fuerit commendatum, postea quã hoc ante testes publicauerit, sicut est in legibus constitutum, illi, qui maiorem partem de eodem testamento est consequuturus, reddatur heredi. Quod si alii redditum fuerit, vel aduersario eius traditum; qui tradiderit duplam compositionem restituat, quàm illi cui fraudulentus fuerit, inferre voluerat. Illas verò scripturas, quę simul tradi partibus debent, si commẽdadas quicumque susceperit, id est, testamenta, iudicia, pacta, donationes, vel cætera talia, si alteri altero absente tradiderit, ille qui dederat reuocet quod dedit; & omnibus quibus in commune debebatur, restituere non moretur.

## V. TITVL.

## DE PIGNERIBVS ET DEBITIS.

- I. *De non pignerando.*
- II. *De pignere deposito, & furato.*
- III. *De pignere, si pro debito deponatur.*
- IIII. *Si pignus representato debito non reddatur.*
- V. *Si vna persona reatu vel debito multis teneatur obnoxia.*
- VI. *Qualiter defuncti debitum aut violentia post mortem possit inquiri.*

## I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De non pignerando.*



Pignerandi licentiam in omnibus submouemus: alioquin si non acceptum pignus præsumpserit ingenuus de iure alterius vsurpare, duplum cogatur exsoluere. Seruus autem simplum restituat, & c. flagella suscipiat.

## II. ANTIQVA.

*De pignere deposito & furato.*

Si quis pignus alteri deposuerit pro aliquo debito, & illud, ipse qui deposuerit, furatus fuerit, pro fure teneatur.

## III. ANTIQVA.

*De pignere si pro debito deponatur.*

Pignus, quod pro debito deponitur, si per cautionem fuerit obligatum, & ille qui pignus deposuerat ad tempus constitutum, debitum reformare dissimulet, post diem cautionis exactum, vsque ad decem dies pignus saluum domino suo reseruetur; aut eidem domino, si in propinquo est, reportetur, atque vt restituat debitum moneatur. Quod si per negligẽtiam suam debitor, ad diem constitutum adesse neglexerit, aut debitum implere distulerit, addantur vsurę. Cæterum si adesse vsque ad decem dies, sicut supra dictum est, aut quod debet, reformare dissimulauerit: tunc creditor iudici vel præposito ciuitatis pignus ostendat, vt quantum iudicio eius, vel trium honestorum virorum fuerit æstimatum, sit licentia distrahendi; & postmodum de precio venditi pigneris, creditor quantum ei debebatur, sibi euidentius tollat, & reliquum ille recipiat qui pignus deposuerat.

## IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si pignus representato debito non reddatur.*

Si quis ei qui rem pro pignere crediderit, ad constitutum tempus, representato debito, pignus acceptum distulerit reddere, & hoc aut ante tempus lege superiori taxatum vendere, vel in vsus proprios atque in alienos conterendum præsumpserit adtem-



ptare, vel malitiose differens noluerit assignare pignus quidem quod accepit, integrum reddat, & medietatem quantum pignus valere constiterit, domino pigneris coactus impendat.

V. FLS. G L S. CHDS. REX.

*Si vna persona reatu vel debito multis teneatur obnoxia.*

**S**I vna persona plurimis rea vel debitor maneat, qui prior in petitione præcesserit, & aut per placitum, aut per probationem siue per professionem eius, eum sibi reum vel debitorem esse docuerit, ipsi nihilominus aut iuxta qualitatem debiti satisfacere compellendus est, vel damnandus a iudice. Quod si quibus reus vel debitor manet, vno eodemq; tempore contra eum agere cœperint; secundum quantitatem debiti vel reatus, aut reddere omnib. aut omnibus addicendus est seruiturus. Quærere tamen a iudice ad liquidum oportebit, cui magis reus vel debitor maneat, vt ipsi maiorem partem reddi præcipiat. Et de reliquo, quod de facultate rei vel debitoris remanserit, quantum reddatur cæteris iudex ipse manifeste perpendat. Certe si non fuerit vnde compositio exsolui debeat, cum hoc factim quod videtur habere, pro debito vel reatu perpetim seruiturum iudex petentibus tradere non desistat.

VI. FLS. CHDS. REX.

*Qualiter defuncti debitum aut violentia post mortem possit inquiri.*

**S**I viuentis cuiuslibet manifesta culpa non apparet, nefas esse non dubitandum est, vt eum quisquam post obitum mansisse sibi reum accuset. Ne ergo in fraude heredis defuncti quicumque post hæc talia conetur præsumere, huius legis redargui sanctione se nouerit: scilicet, vt si quis quemlibet defunctum sibi violentum, aut peruasorem suæ rei, siue direptorem seu debitorem fuisse adstruxerit, eumque quodeunque illicitum secundum superiorem ordinem dixerit perpetrasse; non aliter eius assertioni credatur, nisi per quamcunque scripturam aut testificationem legitimam id verum esse indubitanter edoceat. Quod si tale aliquid quisque conuicerit, & defunctus ille de quo agitur, filios non relinquens, facultatem suam suis libertis aut quibuscunque personis dinoscitur contulisse: ipsi liberti vel aliæ personæ, iuxta quod possident de rebus defuncti, quæ defunctus debuit vel commisit, insistente iudice, cogatur exsoluere. Nam si filios reliquerit, & ipsi omnem eius optinent facultatem, ipsi proculdubio eogendi sunt illa supplere, vnde auctor eorum, debitor aut præsumptor conuincitur extitisse. Si certe prædictarum causarum obnoxius sic ab hac luce discesserit, vt de suis rebus nil videatur aliquatenus ordinasse; propinqui eius, vel qui facultatem ipsius adierint aut possederint, petitori de re vel causa quam repetit, cogendi sunt reddere rationem: ita vt si ille, qui debitor aut præsumptuosus dicitur extitisse, nil rerum suarum moriens dinoscitur reliquisse, ab omni calumpnia repetentis eius filii vel propinqui habeantur immunes. Sin autem quodeunque defunctus reliquit, & maius est quod petitur quam quod reliquisse videtur; si filii eius aut propinqui, aut qui eius possident bona, noluerint pro reatu eius vel debito satisfacere, de rebus a defuncto dimissis non morentur petenti facere cessionem.

VII. TITVLVS.

DE LIBERTATIBVS ET LIBERTIS.

- I. *Si mancipia siue per scripturas seu per testem manumittantur.*
- II. *Si alienus seruus vel commune mancipium manumittatur.*
- III. *De his qui se liberos esse proclamauerint.*
- IV. *Si ad seruitutem repetatur, qui in libertate est constitutus.*
- V. *Si ei qui ad seruitutem repetendus est, aliquid auferatur.*
- VI. *Si eum quem aliquis coram iudice liberum esse dixerit, postea in seruitio repetere velit.*
- VII. *Si timore compulsus quisquam seruum se esse dicat.*
- VIII. *Si ingenuus ad seruitium repetatur, vel seruus se liberum esse dicat.*
- IX. *Quare data libertas debeat reuocari.*
- X. *Si libertus iniuriam faciat manumissori.*
- XI. *Ne contra patronum vel filios eius testificari audeat manumissus.*
- XII. *Ne testificent manumissi.*
- XIII. *De rebus manumissorum, si absque legitimis filiis moriantur.*
- XIV. *De conditionibus à manumisso in scriptura manumissi conscriptis.*
- XV. *De libertatibus seruorum fiscalium.*

- XVI. *De libertis & rebus fiscalium seruorum.*  
 XVII. *Ne liberti vel progenies eorum cum posteritate patroni, aut coniugia connectant, aut eis insolentes existant.*  
 XVIII. *Ne liberti religiosi ad obsequium reducantur heredis.*  
 XVIII. *De his qui ob noui principis fidem seruandam iurare distulerint: vel de illis qui ex palatino officio ad eius presentiam venire neglexerint.*  
 XX. *De libertis regum eorumque potestate, qualiter exercitus tempore ad regiam potestatem concurrant, & cum quibus eos in publica utilitate proficisci oporteat.*  
 XXI. *De transgressoribus libertorum.*

## I. ANTIQVA.

*Si mancipia siue per scripturam seu per testem manumittantur.*

**S**I quis moriens per scripturam aut presentibus testibus manumiserit mancipia sua, voluntas eius habeat firmitatem, dummodo infra sex menses, trium aut quinque testium, quibus credi possit, testimonio comprobetur. Sed & libertis si quid donauerit qui eos manumittit, aut libertatis ipsius scriptura contineat, aut testes qui adhibentur agnoscant; & res apud libertos donata permaneat.

## II. ANTIQVA.

*Si alienus seruus vel commune mancipium manumittatur.*

**S**I quis alienum seruum vel commune mancipium manumiserit in fraudem domini, libertas data non valeat. Ille verò qui manumiserit alienum mancipium, alterum præter illum domino dare cogatur. Si verò dominus adqueuerit ut ille liber sit, duos vicarios seruos pro manumisso seruo percipiat, & libertas data habeat firmitatem. Hæc eadem & de ancillis præcipimus custodiri. Si quis sanè vult ex integro manumittere commune mancipium, presbyterum qui præsens est vel diaconum comonemus, ne huiusmodi libertatem se fieri presentibus permittat, quia hæc manumissio stare non poterit. Si quis autem commune mancipium vult à iugo seruitutis absoluere, prius cum consortibus suis diuidat, & suæ vindicet potestati: aut certè cum his qui ei consortes sunt, id fieri vel precio vel precibus elaboret: & si sic voluerit presente presbytero vel diacono manumittat, & libertas data firmetur. Quòd si aliquis eorum sacerdote vel diacono commune mancipium ex integro manumiserit, proprietatis suæ partem de mancipio amittat, & mancipium ad integrum consortis ille qui non manumisit, optineat. Nam si partem suam quæ in eodem mancipio illi debetur, absoluere voluerit, prohiberi non poterit.

## III. ANTIQVA.

*De his qui se liberos proclamauerint esse.*

**S**I mancipia se in libertate proclamauerint, spatium & tuitionem arbitrio iudicis accipiant, ut testes possint ad libertatis suæ documenta perquirere. Sed tantum temporis spatium mancipiis concedatur, ut nec seruitia dominis, nec beneficia proclamantibus denegentur.

## III. ANTIQVA.

*Si ad seruitium repetatur qui in libertate est constitutus.*

**S**I in libertate constitutus ad seruitium repetatur, non liceat eum in custodiam mitti ab illo à quo repetitur, sed iudicis referuetur arbitrio si debeat sub fideiussore consistere, dummodo nihil violentiæ à pulsante patiat.

## V. ANTIQVA.

*Si ei qui ad seruitutem repetendus est aliquid auferatur.*

**S**I quis homini ingenuo vel liberto aliquid tulerit, & postea eum sibi voluerit seruum addicere, prius reddat quod tulit, & sic de eius conditione contendat.

## VI. ANTIQVA. FLS. RCDS. REX.

*Si eum quem aliquis coram iudice liberum esse dixerit, postea in seruitio repetere velit.*

**Q**ui sub testimonio coram iudice, quemlibet liberum esse dixerit, & postmodum quem ad seruitium inclinare voluerit, aliud illi mancipium è contrario reddat: & quem opprimere nitebatur, in libertate permaneat.



## VII. ANTIQVA.

*Si timore compulsus quisquam seruum se esse dicat.*

**Q**ui timore compulsus seruum se esse extra iudicium dixerit, nullum præiudicium libertatis incurrat, donec in iudicio præsentetur: vt libertatem suam si probauerit, præsentem iudicem optineat; aut si seruus conuincitur, statim domino reformetur.

## VIII. ANTIQVA.

*Si ingenuus ad seruitium repetatur, vel si seruus se liberum esse dicat.*

**S**i quis ingenuum ad seruitium addicere voluerit, ipse doceat quo ordine ei seruus aduenit: & si seruus ingenuum se esse dixerit, & ipse simili modo ingenuitatis suæ firmam ostendat probationem. Iudex verò eorum testimonium recipere debet, quos meliores atq; plurius esse prouiderit. Quòd si muneris acceptione corruptus iniuste bauerit innocentem, tam iudex quam petitor secundum legem aliam de his qui iniuste indicauerint, componere non merentur.

## VIII. ANTIQVA.

*Quare data libertas debeat reuocari.*

**Q**ui seruo suo vel ancillæ libertatem donauerit, & præsentem facerdotem vel alios duobus aut tribus testibus hoc factum esse constiterit, id est, si ipse aliam libertatis scripturam coram legitimis testibus manifeste tradiderit, atq; ita per eandem libertatis scripturam definiat, vt ex tempore conditæ scripturæ liber ipse qui est manumissus permaneat, nihil sibi in eo conditionis reseruans, huiusmodi libertatem reuocari non liceat: excepto si manumissori, eum qui manumissus est iniuriosum aut contumeliosum vel accusatorem, aut criminatorem esse constiterit. Pro quibus iniuriis data libertas poterit reuocari. Si verò ipse qui manumissus, dicat quòd sub aliquo placito aut definitione eum libertauerit; si per scripturam definitio ipsa minime claruerit, testes qui præsentem fuerint ante iudicem ipsum placitum vel definitionem dicere non grauentur; & postmodum quòd placitum & definitum fuerit, stare iubemus.

## X. ANTIQVA.

*Si libertus iniuriam faciat manumissori.*

**S**i libertus manumissori suo iniuriosus fuerit, aut si patronum suum pugno aut quolibet ictu percusserit, vel eum falsis accusationibus impetierit, vnde ipsi capitis periculum cõparetur, addicendi eum ad seruitutem habeat potestatem, ita tamen vt apud iudicem probet causas superius comprehensas.

## XI.

*Ne contra patronum vel filios eius testificari audeat manumissus.*

**F**ilio vel heredi manumissi libertatem reuocare non liceat, sed prioris sui vel patrum factum sine excusatione custodiat. Ita tamen vt nec contra filios filiorum, liberos, vel omnis posteritas eius testimonium dicere permittantur: & si dixerint non credatur à iudice, sed redeant ad pristinam seruitutem. De aliis vero rebus aut causis, contra patroni filios aut nepotes tantum pro suo iure iuste contendant.

## XII. FLS. RCDS. REX.

*Ne testificent manumissi.*

**L**ibertus vel liberta in nullis negotiis contra quenquam testimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus causis, vbi ingenuitas deesse cognoscitur, sicut præmissum est & de seruis. Quia indignum pensat nostra clementia, vt libertorum testimonio ingenuis dampna concutiantur. Qui vero de iisdem fuerint procreati, omnimodis ad testimonium admittantur.

## XIII. ANTIQVA. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De rebus manumissorum, si absque legitimis filiis moriantur.*

**S**i manumissus sine filiis de legitimo cõiugio natis transferit, & ei patronus in libertate aliquid donauerit, aut forsitan de eius seruitio discesserit, & alio se contulerit; omnia ad patronum, siue ad eius heredes, sine dubio reuertantur. Quòd si forsitan in terra ipsius patroni consistens, qui eum manumissus, aliquid de labore suo acquisierit, medietas

dietas acq̄uifitę rei exinde in patroni potestate cōfiftat, & de alia medietate libertus faciendi quod voluerit in eius potestate permaneat. Quod fi alium patronum fibi elegerit, & sub eo aliquid adq̄uiferit, medietas adq̄uifitę rei ad manumifforem concurrat. Alia verò medietas ad manumiffi proximos, fiue ferui fiint fiue liberi, fiue dubio reuertatur, vel in quę voluerit hanc medietatem conferendi habeat potestatē. Illud verò quod ei manumiffor donauerit, in patroni potestate permaneat. Similis & circa ancillas manumiffas forma feruetur. Hoc tantum iuftitia fuadente adiicimus, vt nullus libertus fiue liberta, à domino vel à domina fua libertate percepta, manumiffores fuos dum aduixerint derelinquant. Quod fi facere præfumpferint, & rem quam perceperunt amittant, & ad domini vel domine fuę inuiti reducantur obfequia.

XIIII. FLS. CHDS. REX.

*De conditionibus à manumiffore in fcriptura manumiffi confcriptis.*

Qui mancipium fuum per fcripturam liberum faciens, conftituerit fortaffe non licere ei de peculio fuo aliquid iudicare; fi quid exinde libertus libertave vel diftraherit aut donauerit, modis omnibus inualidum erit. Patronus eius fcilicet aut patroni filii omnia fibi vindicaturi fiint. Certe fi nulla talis conditio intercefferit, liberum erit illi qui liber eft redditus de peculio fuo facere quod voluerit. Aut etiã fi inordinatus moriens filios legitimos non reliquerit, vel aliam quamcunq̄ue conditionem dominus eius per eandem libertatis fcripturam non inftituerit, ad patronum aut ad patroni filios, vniuerfa res eius ad integrum pertinebit.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

*De libertatibus feruorum ficalium.*

Si res ambigua nequaquam occurreret, nulla futuris temporibus legem dandi neceffitas immineret. Quia ergo fub libertatis obtentu, ficalium fæpe fubreptione feruorum, fisci vires attenuantur, non inuidemus bene meritis, fed obuiamus fraudulenter incautis: ftatuentes fcilicet vt non aliter deinceps collata feruo fisci libertas vllatenus valeat, nifi regię manus fuerit ftilo fubfcripta.

XVII. ANTIQVA.

*De libertis & rebus ficalium feruorum.*

Seruis noſtris fine permiffu noſtro libertatem mancipiis fuais dare non finimus. Quod fi dederint, libertas data non valeat. Sed hæc tantummodo libertas habeat firmitatē, quæ ex noſtra præceptione conceditur. Simili modo feruis noſtris mâcipia fua aut terras ad liberos homines nõ liceat venditione trãferrẽ, nifi tantummodo aliis feruis noſtris vendendi habeant poteflatem. Quod fi terras fiue mancipia ecclefiis fiue pauperibus donare voluerint, donatio hæc vel voluntas nulla ratione fubfiftat. Illud enim eis tantum pietatis contemplatione concedimus, vt pro animabus fuais ecclefię vel pauperibus de aliis facultatibus largiantur: & fi præter terras vel mancipia nihil habeant facultatis, tunc de terris atq̄ue mancipiis eis vendendis tribuimus poteflatem. Ita, vt ficut fupra dictum eft, à feruis noſtris tantummodo, quod conferui eorum vendiderint, comparetur: nec liber vllus ad contractum huius emptionis afpiret. Precium autem quod de terra vel mancipiis accefferit, erogare pro animabus fuais ecclefiis vel pauperibus non vententur.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne liberti vel progenies eorum cum poſteritate patroni aut coniugia connectant, aut eis infolentes exiftant.*

Interdum vidimus exceffum licentiamque feruorum, & dolere coacti fumus ignominiam dominorum. Quidam enim à dominis fuais libertate percepta, generationis progenie decurrente, attemprant aut ipfi aut poſteritas eorum, cum progenie dominorum vel indecens copulare coniugium, vel moleftias inferre poſteritati manumittentium. Sicque in aduerfum parte conuerfa, quia ingenita libertas gratiæ dono fit nobilis, ideo generofa nobilitas inferioris tactu fit turpis. Atque inde claritas generis fordeſcit commixtione abiectę conditionis, vnde abdicata feruitus attollit titulos libertatis. Vt ergo & nature fplendor ortus fui dignitate non careat, & feruitus fibimet reminifcēs fidebita & incoſceſſa non appetat, bene iubetur: vt fi quorumlibet quicumq̄; liberti fiue ex eorum ftirpe quandoq̄; progeniti, ex genere manumifforum, vel ex eis decurrente,



† alienorū.

quamuis longa progenie, coniugium præsumpserit attemptare: aut manumissores, vel eorum posteritatem, ipsi vel eorum progenies, extra iusta negotia sua, propter suas vel propter aliorum actiones conuexauerint, aut læserint, eisq; molestias siue dampna concusserint, vel aliquid aduersus eos factione quacunq; egisse visi fuerint, in eorum quos molestauerint euidenter seruitutem mox redeant. Quia impium satis est, ut dum conditio seruitutis absoluitur, dignitas libertatis impediatur: & dū seruus erigitur, filius abdicetur: atque inde filii dampna sustineant, vnde ad nocendum potiuntur serui licetia.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Ne liberti religiosi ad obsequium reducantur heredis.*

**Q**uoslibet de quorumcunq; libertis aut specialiter de ecclesiastici dignitas sublimatio honoris, aut præfixis sanctorum locis deputauit vel ordo religionis vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrociniū reducendi contentione qualibet heredis. Quod enim gloriosius Deo adhærere censetur, obsequiis hominum religari honestate nulla finitur.

XVIII. FLS. GLS. EGIGA. REX.

*De his qui ob noui principis fidem seruandam iurare distulerint, vel de illis qui ex palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.*

**C**um diuinæ voluntatis imperio principale caput regnandi sumat sceptrum, non leui quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut iurasse ut moris est pro fide regia differat: aut si ex palatino officio fuerit, ad eiusdem noui principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sanè ingenuorum de sublimatione principali cognouerit, & dum discussor iuramenti in territorio illo accesserit vbi eum habitare contigerit, quæ sita occasione se fraudulenter distulerit, in eo ut pro fide regia cõseruanda iuramenti se vinculo alliget: aut ille qui sicut præmisimus ex ordine palatino fuerit, minimè regis obtutibus se præsentandum iniecerit: quicquid de eo vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel iudicare voluerit, sui sit incunctâter arbitrii. Quod si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ utilitatis actio eum retinuerit, ut regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regis electionis sublimitas quibuslibet modis ad eius cognitionem peruenerit; statim per suam iussionem id ipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret, qualiter fidei suæ sinceritate ostendens, huius legis sententiam euadere possit.

XX. FLS. GLS. EGIGA. REX.

*De libertis regum, eorumque posteritate qualiter exercitus tempore ad regiam potestatem concurrant, vel cum quibus eos in publica utilitate proficisci oporteat.*

† regis.

† ratione.

**T**unc rectè nostri regiminis patriam, promulgatis legum censuris, † legaliter procuramus, cū & his qui contra hostes gloriæ nostræ decertant, utilitate maxima prouidemus, & vindicatores terræ nostræ proculdubio cernimus. Et licet fauente Deo gentes nostræ affluant copia bellatorū, nil tamen officit si de illis augeatur in super nostra acies ad repulsionem hostium externorum, qui ex familiis filci per regias auctoritates gratiā meruerunt libertatis. Vnde quia necesse est ut illic præbeant ex † ratione suffectum, vnde meruisse lætantur absolutionis statum: ob hoc speciali sanctione iubemus, ut deinceps tam ipsi quàm omnis eorum posteritas, tempore exercitus, omnes ad regiam celsitudinem incunctanter occurrant. Ut cum quibus exercitus expeditionē peragere possit, præsentialiter eos clementia principalis instituat. Quicumque verò ex eis, ut dictū est, tempore exercitus domi residere præsumpserit, & minimè cum cæteris, sicut regalis ordinatio fuerit, in publicam expeditionem perrexerit: nouerit se ad propriæ seruitutis iugum reuerti, ex quo ereptus libertatis meruerat personam assumere. Illi tantummodo hanc erunt sententiā euasuri, qui ordinante principe, duce vel comite suo, aliquid infunctum pro publicis utilitatibus ad peragendum acceperint, vel quos patens ægritudo aut quorundam impedimentum nullatenus properare permisit.

XXI. FLS. EGIGA. REX.

*De transgressoribus libertorum.*

**S**æpe audiuius multosq; cognouimus libertos, relinquentes manumissores suos, quos & dominos esse testamur: quia voluptuosa voluntate, dum relaxato freno seruitutis erumpunt, æquales se dominis suis vel eorum successoribus esse affirmant. Quod



nos modo & debita veneratione & salubri ordinatione valituræ legis censemus atque iubemus: vt quicunque libertus aut liberta, vel filii libertorum, si manumissoribus suis siue etiam filiis prolibusq; vel nepotibus eorum vel qui ex eis fuerint geniti; quocunq; tempore superbientes ac inobedientes extiterint, aut quocunq; tempore de eorum patrocinio, quacunq; subtilitate aut ingenio vel argumento fraudis, vel leuiter de eorum patrocinio se auferre voluerint, tunc in tempore transgressionis eorum careant libertate. Filii tamen qui de iisdem fuerint geniti sic errantes, prædicta superioris legis constitutione perenniter seruituri tradendi sunt.

## DE SCELERIBVS ET TORMENTIS LIBER SEXTVS.

### TITVL. I.

#### DE ACCVSATIONIBVS CRIMINOSORVM.

1. *Vt domino vel senioribus loci, petatur seruus in crimine accusatus.*  
 II. *Pro quibus rebus & qualiter ingenuorum personæ subdenda sunt quaestioni.*  
 III. *Quomodo iudex pro examine aquæ feruentis crimen perquirat.*  
 IV. *Pro quibus rebus & qualiter serui vel ancilla torquendi sunt in capite dominorum.*  
 V. *Pro quantis rebus & qualiter seruus vel libertus tormenta portabunt.*  
 VI. *Qualiter ad regem accusatio deferatur.*  
 VII. *De re seruata principi potestate parcendi.*  
 VIII. *Quod ille solus culpabilis erit, qui culpanda commiserit.*

I. ANTIQVA. FLS. CHDS. REX.

*Vt domino vel senioribus loci petatur seruus in crimine accusatus.*



I seruus in aliquo crimine accusatur, iudex prius dominum, villicum vel actorem eius loci, cuius seruus fuerit accusatus, admoneat vt eum in iudicio præsentet. Quod si reum præsentare noluerit, ipse dominus vel actor aut villicus, donec seruum præsentet, à comite ciuitatis vel iudice distringatur. Certe si dominus, vel quibus commissa res est, difficulter ad locum approximent, à iudice tenendus & discutiendus est reus.

II. FLS. CHDS. REX. NR. EM.

*Pro quibus rebus & qualiter ingenuorum personæ subdenda sunt quaestioni.*

Si in criminalibus causis discretionis modus amittatur, criminatorum malitia nequam frenatur. Ideoque si in causis regis potestatis vel gentis aut patriæ, seu homicidii vel adulterii, æqualem sibi nobilitate vel dignitate palatini officii, quicunque accusandum crediderit, habeat prius fiduciam comprobandi quod obiicit, & sic alienum sanguinem temptet impetere. Quod si probare non potuerit, coram principe vel his quos sua princeps auctoritate præceperit, trium testium subscriptione roborata inscriptio fiat, & sic quaestionis examen incipiat. Ita, vt qui subditur quaestioni si innoxius tormenta pertulerit, accusator ei confestim seruiturus tradatur: vt salua tantum anima, quod in eo exercere voluerit, vel de statu eius iudicare elegerit, in arbitrio suo consistat. Quod si componi sibi ab accusatore voluerit, tantum ei pars accusatoris componat, quantum ipse qui quaestioni subiicit, inlata sibi taxauerit suorum tormentorum supplicia. Iudex tamen hanc cautelam in iudicio seruare debet, vt accusator omnem rei ordinem scriptis exponat, & iudici occulte præsentata sic quaestionis examinatio fiat: & si eius confessio qui quaestioni subdendus est, compar fuerit cum verbis accusatoris, criminis reus incunctanter habendus est. Certè si aliud dictio accusatoris habuerit, aliud eius confessio qui subditur quaestioni, quia dubitari non potest, quod per tormenta sibi crimen imponat, oportebit accusatoris superioris legis huius sententiæ subiicere. Quod si accusator prius occulte



iudici notitiam tradat, aut per se aut per quemlibet de re quam accusat, per ordinem instruxerit quem accusat; non liceat iudici accusatum subdere quæstioni, cum iam per accusatoris indicium detectum constet ac publicatum esse negotium. Similis quoque & de cæteris personis ingenuis ordo seruandus est. Nam si capitalia quæ supra taxata sunt, accusata non fuerint, sed furtum factum dicitur, vel aliud quodcunque illicitum, nobiles ob hoc potentioresque personæ, vt sunt primates palatii nostri, eorumque filii, nulla permittimus ratione quæstionibus agitari. Sed si in hac causa pro qua compellitur probatio defuerit, suam qui pulsatur debeat iuramento conscientiam expiare. Inferiores vero humilioresque ingenuæ tamen personæ, si pro furto, homicidio, vel quibuslibet aliis criminibus fuerint accusatæ, nec ipsi in inscriptione præmissa subdendi sunt quæstioni, nisi maior fuerit causa, quam quod quingentorum solidorum summam valere constiterit. Si autem actio minoris est quantitatis, quam quingenti sunt solidi, per probationem conuictus qui accusatur, secundum leges alias componere compellatur. Aut si conuinci non potuerit, sacramento se expians compositionem accipiat, quæ de mala petitione legibus continetur. Speciali tamen constitutione decernimus, vt persona inferior nobiliorem se vel potentiolem inscribere non præsumat. Sed si per eundem in causa putauerit, & probatio fortasse conuincendi rei defuerit, nobilior ille vel potentior conscientiam suam sacramentis purgare non differat, quod nec amiserit, nec habeat penes se vel reineat rem, pro qua fuerit petitus: & reddito iuramento, ille qui male petit, sicut alia lex continet, ei componere non moretur. Veruntamen, seu nobilis, seu inferior, seu ingenua persona, si quæstioni subdita fuerit, ita coram iudice vel aliis honestis viris a iudice conuocatis, accusatoriales pœnas inferat, ne vitam extinguat, aut quamcunque ipse, qui quæstioni subiiciendus est, membrorum debilitationem incurrat. Et quia per triduum quæstio agitari debet, si imminente casu, qui tormentis subditur, mortuus fuerit, & ex malitia iudicis vel aliquo dolo, seu ab aduersario accusati corruptus beneficio, talia tormenta fieri non prohibuit, vnde mors oecurreret, ipse iudex iniquitatis proximis parentibus simili vindicta puniendus tradatur. Si certe suo se sacramento innocentem reddiderit, & testes iurauerint, qui fuerint præsentis, quod nulla sua malitia vel dolo, aut corruptione beneficii mors ipsa prouenerit, nisi solo tormentorum euentu, pro eo quod indiscretus iudex superflua non prohibuit, quingentos solidos heredibus mortui compellatur exsoluere. Quod si non habuerit vnde componat, ipse seruiturus proximis heredibus mortui contradatur. Accusator autem in potestate proximorum parætur mortui traditus, eadem mortis pœna mulctetur, qua ille mulctatus est qui per eius accusationem morte damnatus interiit.

IN NOMINE DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI IESV.  
CHRISTI FLAVIVS GLORIOSVS EGIGA REX  
TOLETI NOVITER EMENDATA.

\* EGIGA  
ET HVNI-  
TA REX.  
\* caldaris.

FLS. GLS. \* WITIZA. REX.

*Quomodo iudex per examen aquæ feruentis causam perquirat.*

Multas cognouimus querelas, & ab ingenuis multa mala pati, credentes in ccc. solidis quæstionem agitari. Quod nos modo per salubrem ordinationem censemus, vt quamuis parua sit actio rei facti ab aliquo criminis, eum per examinationem aquæ feruentis à iudice distringendum ordinamus: & dum facti temeritas patuerit, iudex eum quæstioni subdere non dubitet: & dum suam dederit professionem superiori legi subiacebit. Quod si per examen aquæ feruentis innoxius apparuerit, petitor nullam pertimescat calumniam. Hic quoque & de suspectis habitis personis, id est de vilibus scilicet & infamia notatis, qui ad testimonium venerunt dicendum ordo seruabitur.

IIII.

*Pro quibus rebus & qualiter serui vel ancilla torquendi sunt in capite dominorum.*

Seruus vel ancilla in capite domini vel dominæ non propter aliud torquendi sunt, nisi tantum in crimine adulterii: aut si contra regem, gentem vel patriam aliquid dictum vel dispositum fuerit: seu si falsam monetam quisque confixerit, aut etiam si causam homicidii vel maleficii querendam esse constiterit. Ita vt serui vel ancillæ pro talibus criminibus tori, si conscii & occultatores sceleris dominorum repperiuntur, pariter cum dominis, secundum quod voluntas principis extiterit, condemnentur. Certe si

te si

re si sua sponte iudices veritatis extiterint, sufficiat eis quod pro veritatis indagine quaestioni subditi tormenta pertulerint, à mortis tamen periculo habeantur immunes. Seruus autem vel ancilla in tormentis positi & de se interrogati, si etiã de dominis sunt confessi, & fuerit culpa mortalis, ac declaratis signis potuerit approbari, eadem damnationis censura mulctentur, qua eorum domini fuerint condemnati.

V. FLS. CHDS. REX.

*Pro quantis rebus & qualiter seruus aut libertus tormenta portabunt.*

10 **S**i seruus in aliquo crimine accusatur, antea non torqueatur, quàm ille qui accusat nocentem tormentis tradidit, alium eiusdem meriti seruum domino reformare cogatur. Si verò innocens in tormentis mortuus aut debilitatus fuerit, duos æqualis meriti seruos cum eodem domino reddere non moretur: & ille qui debilitatus est, ingenuus in patrocinio domini sui permaneat. Nam & iudex, qui temperamentum in tormentis non tenuit, & ita discretionem legis excessit, vt is qui quaestionatus est mortem violenter incurrerit, eiusdem meriti seruum domino mox reformet. Verum vt de seruorum meritis omnis ambiguitas cesset contentio, non pro artificii qualitate excusatio videatur haberi, sed pro seruis quaestionandis, contropatio adhibeatur ætatis & vtilitatis: vt si artifex fuerit qui debilitatus est, & huius artificii seruum, non habuerit, qui insonem debilitauit alterius artificii seruum, iuxta prædictum ordinem domino cogatur exsoluere. Ita vt si artificem non habuerit seruum, & alium seruum ille, cuius seruus quaestioni addicitur, pro eo accipere noluerit, tantum precii eiusdem serui artificis qui quaestioni subditur, eiusdem domino persoluator, quantum ipse artifex à iudice vel bonis hominibus rationabiliter valere fuerit estimatus. Ita tamen seruandum est, vt nec ingenuum quisque nec seruum subdere prius quaestioni præsumat, nisi coram iudice vel eius fauore, domino etiam serui vel auctore præsentem districtè iurauerit, quod nullo dolo vel fraude aut malitia innocentem faciat quaestionem subire. Et si subditus quaestioni mortuus fuerit, atque ille qui subdidit vnde componere non habuerit, ipse subdendus est seruituti qui innocentem fecit occidi. Si autem dolose seruum alienum quispiam subdendum quaestioni intenderit, & dominus serui qui accusatur per probationem eum potuerit de obiecto crimine reddere innocentem, accusator eius alium pariter meriti seruum accusati domino cogatur exsoluere, & dispendium quod dominus eius in approbationem innocentis serui pertulerit, prout rationabiliter iudex reddi penderit, ab iniusto accusatore exactum domino serui restituatur. De rebus verò minuta vt omnis fur, iuxta qualitatem culpæ flagella suscipiat. Pro maiori verò noxa, si compositionem dominus noluerit soluere, seruum pro crimine non moretur tradere. Ingenuus sanè, si quemlibet libertum idoneum, pro capitali crimine siue pro aliis scelerum causis, quaestioni pulsauerit addicendum, non aliter eum impetere poterit adscribendum, nisi ducentorum quinquaginta solidorum quantitatem causa ipsa valuerit, pro qua eum accusator conatus fuerit subdere quaestioni. Nam si inferior fuerit atque rusticanus quem liberum esse constiterit, tunc in eo permittatur quaestio agitari, si causam ipsam vnde agitur centum solidos valere constiterit. Quod si indiscretè, qui quaestioni subditur, in quacunque parte membrorum debilitationem incurrerit, tunc iudex qui temperamentum in tormentis non tenuit, ducentos solidos illi qui tormenta sustinuit persoluet. Ille vero qui eum iniuste quaestionandum appetit, ccc. solidos ei dare cogendus est. Certe si in tormentis positus mortem incurrerit, prædictam summam solidorum tam iudex quam petitor propinquis parentibus mortui persoluent. Similiter & de inferioribus illis libertis, si debilitatione vel morte quis per intemperantiam fuerit condemnatus, medietas satisfactionis, quæ supra de libertis idoneis constituta est, ei qui indebite quaestionatus est, si tamen vixerit, aut suis heredibus, si ipse inde mortuus fuerit, exsoluenda est.

VI. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Qualiter ad regem accusatio deferatur.*

**S**i quis prinsipi contra quemlibet falsa suggesserit, ita vt dicat eum aduersus regem,



gentem vel patriam aliquid nequiter meditatam fuisse aut agere vel egisse : seu in auctoritate vel præceptis regie potestatis, aut eorum qui ordinatione iudiciaria funguntur, fraudulentè quippiam immutasse, atque etiam scripturam falsam fecisse vel recitasse, falsamque monetam ferisse : sed & si veneficium vel maleficium aut adulterium vxoris alienæ fortasse prodiderit : horum vel similium criminum accusator, quæ ad capitis periculum vel rerum amissionem pertinere videntur, si vera repperiantur quæ dixerit, nullam omnino calumniam sustinebit. Si certè quod opponit falsum esse constiterit, & per solam inuidiam id fecisse patuerit, vt iacturam capitis aut detrimentum corporis vel rerum dampna pateretur, quem accusare conatus est, in potestatem tradatur accusati. Ille hanc pœnam in se suis que rebus suscipiat, qui hoc alium innocentem pati voluerit. Ita vt ille qui aliquid scire se dicit, quod ad cognitionem principis possit deduci, & in eo loco fuerit vbi tunc regiam potestatem esse contigerit, aut per se statim suggerat omne quod nouit, aut per fidelem regis eius auditibus denuntiandum procuret. Quod si procul a rege cum esse prouenerit, & per aliquem principi mandandum crediderit, quod ad accusationem alterius dinoscitur pertinere, coram illo, cui hoc suggerendum committit, talem epistolam faciat, per quem euidenter quid mandet exponat. Quam etiam epistolam tres testes, quos sibi nouerit esse fideles, euidentibus signis aut scriptionibus simul cum ipso confirmet, vt postea quod mandauerit negare non possit.

VII. FLS. CHDS. REX.

*De reseruata principi potestate parcendi.*

Quotiescunque nobis pro his, qui in causis nostris aliquo crimine implicati sunt supplicatur, & suggerendi tribuimus aditum, & pia miseratione delinquentibus culpas omittere nostræ potestati seruamus. Pro causa autem gentis & patriæ huiusmodi licentiam denegamus. Quod si diuina misratio tam sceleratis personis cor principis misereri compulerit, cum ad sensu sacerdotum, maiorumque palatii licentiam miserandi libenter habebit.

VIII. ANTIQVA.

*Quod ille solus culpabilis erit, qui culpanda commiserit.*

Omnia crimina suos sequantur auctores. Nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec vxor pro marito, nec maritus pro vxore, nec frater pro fratre, nec vicinus pro vicino, nec propinquus pro propinquo vllam calumniam pertimescat. Sed ille solus iudicetur culpabilis, qui culpanda commisit, & crimen cum illo qui fecerit, moriatur: nec successores aut heredes pro factis parentum vllum periculum pertimescat.

II. TITVLVS.

DE MALEFICIS AC CONSULENTIBVS EOS,  
atque veneficis.

- I. *Si ingenuus de salute vel morte hominis vaticinatores consulat.*
- II. *De veneficis.*
- III. *De maleficis & consulentibus eos.*
- III. *De his qui in omnibus animalibus, vel quibuscunque rebus qualiacunque ligamenta aut quodcunque contrarium repperiuntur fecisse.*
- V. *De personis iudicum, siue etiam caterorum, qui aut diuinos consulunt, aut auguriis intendunt.*

I. FLS. CHDS. REX.

*Si ingenuus de salute vel morte hominis vaticinatores consulat.*

Vi de salute vel morte principis vel cuiuscunque hominis ariolos, aruspices, vel vaticinatores consulit, vna cum his qui responderint consulentibus, ingenui siquidem flagellis cæsi, cum rebus omnibus fisco seruituri associentur, aut a rege cui erunt donati perpetuo seruitio addicantur. Quod & si filii eorum tales fuisse repperiantur, parentibus crimini focii, simili dampnatione plectantur. Si vero ab scelere parentum habeantur extranei, & dignitatem & rerum omnium possessionem quam parentes amiserint, plenissime obrinebunt. Serui vero diuerso genere pœnarum afflicti, in transmarinis partibus transferendi vendantur, vt feueritas vindictæ non habeat excusatos, quos propriæ voluntatis excelsus, nefariæ præuaticationis facit obnoxios.

*De veneficis.*

**D**iuersorum criminum noxii, diuerso sunt pœnarum genere feriendi. Ac primum ingenuos siue seruos veneficos, id est, qui venena conficiunt, ista protinus vindicta sequatur: vt si venenatam potionem alicui dederint, & qui biberit mortuus exinde fuerit, illi etiam continuo suppliciiis subditi morte turpissima sunt puniendi. Si certe poculo veneni potatus euaserit, in eius potestate tradendus est ille qui dedit: vt de eo quod

V. FLS. G L S. RCDS. REX.

*De maleficis & consulentibus eos.*

**M**alefici & immissores tempestatum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas messesque mittere perhibentur, & hi qui per inuocationem dæmonum mentes hominum conturbant, seu qui nocturna sacrificia dæmonibus celebrant, eosque per inuocationes nefarias nequiter inuocant: vbicumque a iudice vel actore, vel procuratore loci repperiti fuerint vel detecti, ducentenis flagellis publicè verberentur, & decaluati deformiter decem conuicinas possessiones circuire cogantur inuiti, vt eorum alii corrigantur exemplis. Quos tamen iudex, ne vterius euagantes talia facere permittantur, aut in retrusione faciat esse, vt ibi accepta veste atque substantia ita viuât, ne viuentibus nocendi aditum habeant: aut regie præsentie dirigat, vt quod de illis sibi placitum fuerit, euidenter statuat. Hi autem qui tales cõsuluisse repperiuntur, in populi conuentu ducentorum ictus accipiant flagellorum: vt impuniti non remaneant, quos culpæ similis reatus accusat.

II. FLS. CHDS. REX.

*De his qui in hominibus aut animalibus, vel quibuscunque rebus qualiacunque ligamenta, aut quodcunq; contrarium repperiuntur fecisse.*

**P**resentis legis superiori sententia dampnati iubemus, seu ingenuus sit seu seruus, vtriusque sexus, qui in hominibus vel brutis animalibus, omnique genere quod mobile esse potest, seu in agris vel vineis, diuersisque arboribus, maleficium, aut diuersa ligamenta, aut etiam scripta in contrarietatem alterius excogitauerit facere, aut expleuerit, per quod alium lædere vel mortificare, aut obmutescere velit, aut dampnum tam in corporibus quam etiam in vniuersis rebus fecisse repperiantur.

V.

*De personis iudicum siue etiam ceterorum, qui aut diuinos consulunt, aut auguriis intendunt.*

**S**icut pia veritas mendacij assertione non capitur: ita non est consequens, vt latens veritas mendacio inuestigetur. Omnis igitur veritas ex Deo est. Mendacium vero ex diabolo est. quia & ipse diabolus ab initio mendax est. Cùm ergo vtraque res suos principes habeat, quid opus est, vt veritas cuiuscunque mendacio admittatur exquiri? Quidam enim ex iudicibus feruntur Dei spiritu † pleni, qui acta maleficiorum dum inuestigare subtili perquisitionis perspicacia nequeunt, execrabiles diuinorum † propitiationes intendunt. Veritatem enim se inuenire non putant, nisi diuinos & aruspices cõsulant: & eo sibi repperiendæ veritatis aditum claudunt, quo veritatem ipsam per mendacium addiscere concupiscunt. Dum enim maleficia per diuinationes comprobare peritent, quasi tertio loco ipsi se diabolo seruitutos illaqueunt. Quapropter si quis ex quolibet iudicum gradu vel ordine, per diuinos aut eorum similes aliquid sciscitare tentauerit, vel approbare intenderit: si quis etiam hominum cuiuslibet sit ordinis vel personæ, qui à talibus aut salutis aut ægritudinis responsa poposcerit, vel consulendos eos pro quibuscunque rebus crediderit, ad legis illius teneatur satisfactionem obnoxius, quæ in hoc libro sexto, sub titulo secundo, era prima, eos, qui de salute vel morte principis aut quorumcunque hominum vaticinatores quosque consulere prætentant, statuit serenitatis ordine resecari. Illi tantum iudices ad huius legis non tenebuntur

† Sacri.  
† propitiationes.



sententiam condemnandi, qui diuinos ipsos atque eorum similes non sciscitandi, sed vlciscendi voto coram multis perquirendo detribuerint, id est, si non vt aliquid de eo scire inquirenda intendant, sed detegi sibi hoc solum, vnde feriantur, exquirant. At nunc, quia & auguriis deditos eodē modo nouimus odibiles Deo: ideo speciali legis sanctione decernimus, vt quicumque sunt illi, quibus augures vel auguria obseruare contigerit, quinquagenis publicē subiiciantur verberibus coerēdi. Qui tamē ad solitum vitium vltra redierint, perduto etiam testimonio, simili erunt sententia flagellorum subiiciendi.

## III. TITVLVS.

## DE EXCVTIENTIBVS HOMINVM PARTVS. 10

- I. *De his qui potionem ad auorsum dederint.*
- II. *Si ingenuus ingenuam auortare fecerit.*
- III. *Si ingenua mulier ingenuam auortare fecerit.*
- IIII. *Si ingenuus ancilla partum effuderit.*
- V. *Si seruus ingenuæ partum excusserit.*
- VI. *Si seruus ancilla partitudinem laeserit.*
- VII. *De his qui filios suos aut natos aut in utero necant.*

## I.

*De his qui potionem ad auorsum dederint.* 20

**S**iquis mulieri prægnanti potionem ad auorsum aut pro necando infante dederit occidatur: & mulier, quæ potionem ad auorsum facere quæsiuit, si ancilla est cc. flagella suscipiat, si ingenua careat dignitate personæ, & cui iusserimus seruitura tradatur.

## II. ANTIQVA.

*Si ingenuus ingenuam auortare fecerit.*

**S**iquis mulierem grauidam percusserit quocunque ictu, aut per aliquam occasionē mulierem ingenuam auortare fecerit, & exinde mortua fuerit, pro homicidio puniatur. Si autē tantummodo partus excutiat, & mulier in nullo debilitata fuerit, & ingenuus ingenuæ hoc intulisse cognoscitur, si formatum infantem extinxit \* ccv. solidos reddat. Si vero informem, centum solidos pro facto restituat.

## III. ANTIQVA.

*Si ingenua mulier ingenuam auortare fecerit.*

**S**iquis mulier ingenua per aliquam violentiam aut occasionem ingenuæ partum excusserit, aut ex hoc debilitasse cognoscitur, sicut & ingenui superioris dampni pœna mulctetur. 40

## IIII. ANTIQVA.

*Si ingenuus ancilla partum effuderit.*

**S**iquis ingenuus ancillam auorsum fecerit pati, xx. solidos domino ancillæ cogatur inferre.

## V. ANTIQVA.

*Si seruus ingenuæ partum excusserit.*

**S**iquis seruus ingenuæ partum excusserit, ducentenis flagellis publicē verberetur, & tradatur ingenuæ seruiturus.

## VI. ANTIQVA.

*Si seruus ancilla partitudinem laeserit.*

**S**iquis ancillam seruus auortare fecerit, decem solidos dominus serui, ancillæ domino dare cogatur, & ipse seruus ducenta in super flagella suscipiat. 50

## VII. FLS. CHDS. REX.

*De his qui filios suos, aut natos, aut in utero necant.*

**N**ihil est eorum prauitate deterius, qui pietatis immemores, filiorum suorum necatores existunt. Quorū quia vitium per prouincias regni nostri sic inoluisse narratur, vt tam

vt tam viri quàm feminae sceleris huius auctores esse repperiatur, ideo hanc licentiam prohibentes decernimus: vt seu libera seu ancilla natum filium filiamve necauerit: siue adhuc in utero habens, aut potionem ad auorsum acceperit, aut aliquo quocunque modo extinguere partum suum præsumperit, mox prouinciæ iudex, aut territorii vt tale factum reppererit, non solum operatricem criminis huius publica morte condemnent: aut si vitæ reseruare voluerit, omnem visionem oculorum eius non moretur extinguere. Sed etiam si maritum eius talia iussisse vel permisisse patuerit, eundem etiam vindictæ simili subdere non recuset.

## . III. TITVLVS.

## 10 DE CONTVMELIA, VVLNERE ET DEBILITATIONE.

- I. De cadibus ingenui atque serui.
- II. De præsumptoribus & operibus præsumptorum.
- III. De reddendo talione, & compositionis summa pro non reddendo talione.
- III. Si itinerantem quis retinuerit iniuriose atque nolenter.
- V. Vt qui alteri ea intulerit quæ legibus non continentur, ea recipiat quæ fecisset committitur.
- VI. Ne sit reus, qui percutere volentem ante percussit.
- VII. Si seruus ingenuo fecerit contumeliam.
- 20 VIII. Si ingenuus ingenuum percutiat.
- VIII. Si ab ingenuo seruus debilitetur alterius.
- X. Si seruus percutiat ingenuum.
- XI. Si seruus seruum debilitet alienum.

I. FLS. CHDS. REX.

*De cadibus ingenui atque serui.*

Si ingenuus ingenuum quolibet ictu in capite percussit, pro lussore det solidos v. pro cute rupta solidos x. pro plaga vsque ad ossum, solidos xx. pro osso fracto solidos c. Quod si ingenuus hoc in seruo alieno commiserit, medietatem superioris compositionis exsoluat. Si verò seruus in seruo hoc fecerit, tertiam partem eiusdem compositionis adimpleat, & l. flagella suscipiat. Si autem seruus ingenuum vulnerauerit, ita componat, sicut cum ingenuus seruum vulnerauerit alienum, & septuaginta flagella suscipiat. Si verò dominus noluerit pro seruo componere, seruus tradatur pro crimine.

## II. ANTIQVA:

*De præsumptoribus & operibus præsumptorum.*

Si quis euaginato gladio, vel quolibet genere armorum munitus, præsumptiuo modo in domum alienam intrauerit, cupiens dominum domus occidere, si ipse fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur. Si autem ipse qui in domum alienam intrauit, hominem occiderit, continuo & ipse moriatur. Quod si non criminalem culpam admisit, secundum legum ordinem componere non moretur, iuxta quod damnum in eadem domo fecerit. Nam si ille, qui in domum alienam violenter ingressus fuerit, aliquid exinde rapuerit vndecupli satisfactione quæ leuauit cogatur exsoluere. Quod si non habuerit unde componat, ipse sine dubio seruiturus tradatur: & si aliquid in domum, quam ingressus fuerat, damni non fecerit, nec aliquid subtraxerit, pro eo quod ingressus fuerit, x. solidos cogatur donare, & centum flagellis publicè verberetur. Quod si non habuerit unde componat, cc. flagella suscipiat. Si verò aliqui ab ingenuis, cum eo in eadem domo, non ab illo iussi, neque in eius obsequio vel in patrocinio constituti, vnanimes tamen vel consentientes præsumptori ingressi fuerint, vnusquisque eorum simili damno & pœnæ subiaceant. Quod si non habuerint unde componant cl. flagella suscipiant. nam testimonium non amittunt. Quod si in patrocinio vel obsequio præsumptoris retenti ab illo hoc facere iussi fuerint, vel cum eo hoc eos fecisse constiterit, solus patronus ad omnem satisfactionem, & pœnæ & damni teneatur obnoxius. nam illi non erant culpabiles, qui iussa patroni videntur esse complentes. Si autem seruus hoc domino nesciente commiserit, cc. flagella suscipiat, & quod abstulerit, reddat. Si verò consensio domino seruus hoc fecerit, ipse dominus pro eo componat, sicut de ingenuis superioris est comprehensum.



*De reddendo talione, & compositionis summa pro non reddendo talione.*

**Q**uorundam s̄ua temeritas s̄uioribus p̄enis est legaliter vlciscenda : vt dum me-  
 uit quisque pati quod fecerit, saltem ab illicitis inuitus abstineat. Quicumque er-  
 go ingenuus ingenuum pertinaciter ausus decaluare aliquem, aut turpibus maculis in  
 facie vel cætero corpore, flagello, fuste, seu quocunque ictu feriendo aut trahendo ma-  
 litiose scedare vel maculare, siue quamcunq; partem membrorum trucidare præsum-  
 pserit, aut etiam ligauerit, vel in custodia aut in quocunq; vinculo detinuerit, seu ligari  
 ab aliquo aut custodia vel vinculo mancipari præceperit, iuxta quod alii intulerit vel  
 inferendum præceperit, correptus a iudice in se recipiat talionem. Ita vt is qui ma-  
 le pertulerit, aut corporis contumeliam sustinuerit, si componi sibi a præsumptore vo-  
 luerit, tantum compositionis accipiat, quantum ipse taxauerit qui læsionem nosci-  
 tur pertulisse. Pro alapa vero, pugno vel calce, aut percussione in capite, prohibemus  
 reddere talionem : ne dum talio rependitur, aut læsio maior aut periculum ingeratur.  
 Sed si quis hæc sine periculo membrorum aut aliqua læsione præsumptuosus intulerit,  
 pro alapa x. flagella, pro pugno vel calce xx. pro percussione vero in capite, si sine san-  
 guine fuerit, ab eo quem percusserit \* xx. flagella suscipiat. Certe qui læsit, vel læden-  
 dum dicitur instituisse, si non ex priori disposito, sed subito exorta lite & cæde commis-  
 sa, aliquo casu id conuicerit se nolente perpetratum fuisse, pro euulso oculo det solidos  
 centum. Quod si contigerit, vt de eodem oculo ex parte videat, qui percussus est librã  
 auri a percussore in compositione accipiat. Quod si in naribus ita percussus est, vt na-  
 sum ex integro perdat, c. solidos percussor exsoluat. Si vero nasus ita collisus est,  
 vt pars turbata narium pateat, iuxta quod deturpationem iudex inspexerit, damnare  
 non morabitur percussorem. Quod etiam similiter & de labiis vel auribus præcipimus  
 custodiri. Cui ponderositas facta fuerit, centum solidi dentur in compositione. Qui  
 manum ex integro absciderit, vel etiam quolibet ictu ita percusserit vt ad nullum opus  
 ipse prodefaciat, centum solidos percussor componat. Pro pollice autem quinquaginta,  
 pro sequenti digito quadraginta, pro tertio triginta, pro quarto xx. pro quinto x. solidos  
 compositionis exsoluat. Quæ scilicet summa & de pedibus erit implenda. Pro singu-  
 lis autem excussis dentibus duodeni solidi componantur. Qui cassos alteri fregerit, &  
 ex hoc qui percussus est debilis apparuerit, libram auri percussor componere procura-  
 bit. & ista quidem inter ingenuos obseruanda & implenda sunt. Si vero seruus hoc in-  
 genuo fecerit, vel etiam ingenuum decaluauerit, in eius potestate tradendus est, vt sui  
 sit arbitrii de eo facere quod voluerit. Si certe ingenuus seruum alterius decaluauerit,  
 aut decaluare iusserit rusticanum, det eius domino solidos x. Si vero idoneum, c. fla-  
 gella suscipiat & supradictam summam c. solidorum serui domino coactus exsoluat.  
 Quod si qualibet corporis parte seruum truncauerit, vel truncare iusserit alienum, du-  
 centorum flagellorum ictibus verberetur, & alium eiusdem facultatis & meriti seruum  
 cum eodem proprio domino reddere compellatur. Quod si de supra taxatis capitulis  
 quodcunque libertus ingenuo facere præsumpserit, pro eo quod æqualem statum non  
 habet, & quod fecerit similiter in se factum recipiat, & centum insuper flagellorum icti-  
 bus extensus accipiat. Quod si ingenuus in liberto hoc fecerit, tertiam partem compo-  
 sitionis, quæ de ingenuis continetur, exsoluat. Si seruus seruum in scio domino decalua-  
 re siue truncare præsumpserit, & quod fecit patiat, & centum flagellis publice verbe-  
 retur. Si vero seruus domino nesciente ingenuum comprehendere vel ligare præsum-  
 pserit, ducentis publice verberetur flagellis. Quod si cum domini voluntate seruus hoc  
 fecerit, ipse dominus tantundem & p̄enam & damna, quæ de ingenuis in hac lege te-  
 nentur, suscipiat. Ingenuus autem si seruum alienum ligauerit innocentem, det do-  
 mino serui solidos tres. nam si seruus seruum ligauerit absque voluntate domini sui,  
 ceterum flagellis publice verberabitur. Si certe conscio domino suo seruus hoc admiserit,  
 idem serui dominus tres idemque solidos componere compellendus est. Tamen si  
 ingenuus seruum alienum innocentem die ac nocte in custodia detinuerit, vel ab a-  
 lio fecerit detineri, pro vno die tres solidos, & pro vna nocte similiter tres solidos  
 domino serui componat : & si per plures dies id seruus ab ingenuo innocens pertu-  
 lisse conuincitur, eandem trium solidorum summam per singulos dies ac noctes  
 isdem ingenuus serui domino coactus exsoluat. Ingenuus sane, si seruum alienum  
 fuste, aut flagello, vel quolibet ictu indignans percusserit, vt sanguis & liuor ap-  
 pareat, per singulas percussiones singulos solidos domino serui persoluat : aut  
 si gra-



si grauis percussio fortasse patuerit, per quam aut mortem aut debilitationem qui percussus est videatur incurrere, quantum pro tali re componere debeat, iudicis æstimatione competenter inspiciat. Si verò seruus in seruo talia fecerit, idemque iudex constituat, quantum vel à seruo vel ab eius domino, iuxta liuoris vel plagarum qualitatē, media pars de ingenuis componi debeat. Seruus tamen pro præsumptione sua L. flagella extensus accipiat. Omnis autem sententiæ legis huius tam in viris quàm in fœmidicis obseruandæ sunt: ita vt capitula, quæ in hac lege vel in aliis legibus ad arbitrium iudicis referuantur, eius instantia celeriter terminentur. Quòd si iudex amicitia corruptus vel præmio iuxta æstimationem rei liberare neglexerit, neq; continuò vlciscendum institerit, iudiciaria protinus potestate priuatus, ab Episcopo vel Duce districtus, illi, quem admonitus vindicare contempsit, secundum quod idem inspexerint, iuxta contemplationem de facultate propria componere compellatur: quatenus ipse suarum rerum compulsus dampna sustineat, qui voluntarius defendere recusauit interpellantis iniuriam.

## III. ANTIQVA.

*Si itinerantem quis retinuerit iniuriosè aut nolenter.*

SI in itinere positum aliquis iniuriosè sine sua voluntate retinuerit, & ei in nullo debitor existat, quinque solidos pro sua iniuria consequatur ille qui retentus est: & si non habuerit vnde componat, ille qui eum retinuerit, L. flagella suscipiat. Quod si debitor ille fuerit, & debitum reddere noluerit, sine iniuria hunc territorii iudici præsentet, & ipse illud quod iustum est ordinet. Quòd si seruus hoc sine iussione domini commiserit, c. ictus accipiat flagellorum. Si autem domino iubente hoc fecerit, ad superiorem compositionem dominus teneatur obnoxius.

V. FLS. † CHDS. REX.

*Vt qui alteri ea intulerit quæ legibus non continentur, ea recipiat qua fecisse conuincitur.*

† RCDS.

NON minoris est noxæ, legum statuta nescire quam sciēdo praua committere. Quapropter quicumque hæcenus vel post hæc illicita perpetrans, aut leges nescire se didicit, aut in cuiuspiam damno vel periculo illa præsumpserit excogitare vel agere, quæ conuictus præsumptor, ea continuò pericula, ignominiam, tormenta atque cruciatum vel damna sustineat, quæ alii intulit, vel inferenda molitus est: atque insuper publicè centum flagellorum verberibus cæsus, ad perennem infamiam deformiter decaluetur.

VI. FLS. CHDS. REX.

*Ne sit reus, qui percutere volentem antè percusserit.*

NON est putanda resistentis improbitas, vbi violenter conspicitur præsumptis audacia. Quicumque ergo incauè præsumptuosus, fuste vel gladio, seu quocunque ictu, percutere aliquem iratus voluerit, vel percusserit, & tunc idem præsumptor ab eo quem percutere voluit, ita fuerit percussus, vt moriatur, talis mors pro homicidio computari non poterit, nec calumniam patiat qui præsumptem percusserit. Quia commodius erit irato viuentem resistere, quàm se post obitum vlciscendum relinquere. Ille sanè, qui prior contra quemlibet iratus eduxerit gladium, quamlibet non percusserit, x. tamen solidos ei quem percutere voluit, pro præsumptione sola dare cogendus est.

VII. FLS. † RCDS. REX.

*Si seruus ingenuo fecerit contumeliam.*

† CHDS.

QUAMUIS idoneus seruus personæ nobili & illustri nullatenus indebitè contumeliosus aut seditiosus præsumat existere. Quod si fecerit, quadraginta verberibus eoram iudice subiacebit. Seruus autem vilior L. flagellorum ictibus addicetur. Certè si eadem persona, vt sibi fieret contumelia, seruum prius excitauerit alienum, suæ negligentia imputet, qui oblitus honestatis & patientiæ, quod merebatur à seruo accepit.

## VIII. ANTIQVA.

*Si ingenuus ingenuum percutiat.*

SI quis ingenuus ingenuo vulnus infixerit, ita vt continuò qui vulneratus fuerit, mo-



riatur, percussor pro homicidio teneatur: & si qui percussus fuerat, statim non extinguitur, percussor deputetur in carcere, aut certe sub fideiussore habeatur: & si euaserit vulneratus, pro sola præsumptione det ei solidos xx. Aut si non habuerit unde componat, cc. flagella publice extensus suscipiat, & extra hoc compositionem vulneris implere cogatur, sicut à iudicibus fuerit æstimatum.

## VIII. ANTIQVA.

*Si ab ingenuo seruus debilitetur alterius.*

**S**i quis ingenuus seruum volens debilitauerit, alterum paris meriti seruum eiusdem domino dare non moretur. Illum verò debilem suo studio & sumptu ad curandum, donec recipiat sanitatem, retineat. Postea verò, si sanari potuerit, pro vulnere compositio detur, prout iustum visum fuerit iudicanti. Ac sic postea seruus domino reddatur incolumis, & suum seruum recipiat. Insuper autem pro facti temeritate, vt eadem euadat, pro eo quod seruum alienum vulnerare præsumperit, x. solidos domino serui persoluat.

## X. ANTIQVA.

*Si seruus percutiat ingenuum.*

**S**i seruus ingenuo sine domini iussione percussione intulerit, & ille exinde moriatur, percussor pro homicidio puniatur: & si qui percussus fuerit statim non moriatur, ipse seruus continuò tradatur in carcerem. Et si euaserit vulneratus, ille qui percusserat cc. flagella suscipiat. Dominus vero si voluerit, pro seruo summam cõpositionis exsoluat, quantum à iudicibus fuerit æstimatum. Sin autem noluerit, seruum pro culpa tradere non moretur.

## XI. ANTIQVA.

*Si seruus seruum debilitet.*

**S**i seruus seruo debilitationem intulerit, excepta vulneris compositione, c. flagella suscipiat. Et si exinde debilitatus agnoscitur, quantum deterior extiterit ipse seruus, iudex poterit æstimare. Et si ipse dominus compositionem accipere noluerit, similem seruum aut pretium serui ab illo cuius seruus eum debilitauit accipiat, & † illum debilitatum seruum sibi vsurpet. Hoc ipsum etiam & de ancillis præcipimus custodiri.

## V. TITVL.

## DE CÆDE ET MORTE HOMINVM.

- I. *Si quis nesciens occiderit hominem.*
- II. *Si quis hominem dum non videt, occiderit.*
- III. *Si quis impulsus occidat hominem.*
- IV. *Si quis alterum percutere volens, alterum occidat hominem.*
- V. *Si homo exorta cade moriatur.*
- VI. *Si dum leuis iniuria infertur, homicidium committatur.*
- VII. *Si iocans aut indiscretus occidat hominem.*
- VIII. *Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.*
- IX. *Si ingenuus seruum casibus præscriptis occidat.*
- X. *Si seruus ingenuum casibus præscriptis occidat.*
- XI. *Si homo voluntariè occidatur.*
- XII. *Ne domini extra culpam seruos suos occidant, & si ingenuus occidat ingenuum.*
- XIII. *Ne liceat quemcunque seruum vel ancillam quacunque corporis parte truncare.*
- XIV. *Vt homicidam cunctis liceat accusare.*
- XV. *Quòd & proximis & extraneis homicidam conceditur accusare.*
- XVI. *Si homicida ad Ecclesiam confugiat.*
- XVII. *De parricidis, & eorum rebus.*
- XVIII. *De his qui proximos sanguinis sui occiderint.*
- XVIII. *Si à proximo sanguinis casu proximus occidatur.*
- XX. *Si seruus seruum casibus præscriptis occidat.*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si quis nesciens occiderit hominem.*

**Q**uicumque nesciens hominem occiderit, & nullum contra eum odiū habuerit, iuxta do-

ta domini vocem reus mortis non erit. Non enim est iustum, vt illum homicidæ damnum aut pœna percutiat, quem voluntas homicidii non cruentat.

II. ANTIQVA. FLS. CHDS. REX.

*Si quis hominem, dum non videt, occiderit.*

SI quis hominem, dum eum non videt, stantem, venientem vel prætereuntem ignorando occiderit: si nulla occasio inimicitæ antea cum eo fuerit, & ille nolens homicidium admiserit, atque ante iudicem hoc potuerit approbare, securus abscedat.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si quis impulsus occidat hominem.*

SI quis aut casu aut re quacunq; impulsus, vel præcipitatus in alterum corruerit, hominemque occiderit, pro homicidio nec damnis nec pœnis damnabilis erit. Si certe homo impulerit alium, cuius impulsione illisus perimat alterum, si ille qui impulit absque mala voluntate hoc fecerit, auri libræ damnum habebit, quare læsionem vitare neglexerit.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si aliquis alterum percutere volens, alterum occidat hominem.*

QUicumque exorta lite, dum eum cum quo contendit percutere quærit, alterum nolens occiderit: quærendum est, à quo cædes exordium habuerit. Et si ab illo, quem percussor voluit percutere, exortam cædem esse constiterit: ille qui concitauit litem, licet euaserit percussorem, quia tamen per ipsum constat homicidium esse commissum, c. auri solidos det. Ille vero qui percussit, l. solidos reddat, defuncti nihilominus proximis profuturos. Ideo enim ambo damnum habebunt: quia ille volens aditum mortis dedit, iste autem nolens mortem iniecit.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si homo exorta cade moriatur.*

SI exorta cæde ad faciendam pacem quicumque ingenuus aduenerit, & eum percussione litis mori contigerit, atque ille qui percussit aut suo sacramento aut testibus numero & dignitate idoneis approbare potuerit, quod hoc vt fieret voluntatis eius non fuit, quia percussor nec percutere nec occidere voluit, libram tantum auri parentibus persoluat occisi. Similiter & quaecunque vulnus tali casu fieri prouenerit, tertiam partem compositionis qui percussit exsoluat. Quia mors eius inulta esse non debet, qui pacis præmium vt conferret aduenit.

VI. ANTIQVA.

*Si dum leuis iniuria infertur, homicidium committitur.*

SI dum quis calce vel pugno ac quacunq; percussione iniuriam conatur inferre, homicidii extiterit occasio, homicidio puniatur.

VII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si iocans aut indiscretus occidat hominem.*

QUicumque incautus aut indiscretus aut iocari volens aut in multitudine cuiuscunque rei ex improviso ictu noxium admittens percussisse atque occidisse quempiam videatur, cum aut sacramento aut testibus conuictum fuerit, quia id disposito malitiæ spiritu aut nocendi voluntate commissum non fuit, non quidem erit percussor vel homicidio infamis vel morte damnabilis: quia mortuum voluntarie non occidit. Quare tamen indiscrete percussit, nec vitare casum studuit, libram auri proximis occisi persolvere procurabit, & quinquaginta flagellorum ictibus vapulabit.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.*

QUicumque discipulum, in patrocínio aut in seruitio constitutum, si à magistro, patrono vel domino compereti & indiscreta disciplina percussum fortasse mori de flagello contingat, cum nihil ille qui docet aut corripit, in hunc inuidiæ aut malitiæ habuerit: qui cecidit, homicidio nec infamari poterit nec affligi. quia dicente Dei sacra scriptura: Qui disciplinam abiicit, infelix erit.



*Si ingenuus seruum casibus præscriptis occidat.*

**S**I ingenuus seruum non voluntate, sed suprascriptis casibus diuersis occiderit, medietas compositionis quæ est de ingenuis constituta, erit à percussore domino serui reddenda.

*Si seruus ingenuum casibus præscriptis occidat.*

**S**I seruus ingenuum non voluntate sed suprascriptis casibus diuersis occiderit, eam compositionem exsoluat, quam de ingenuis casu occidentibus superior sententia<sup>10</sup> taxat. Quòd si dominus pro seruo componere noluerit, mox seruum tradere oportebit.

*Si homo voluntariè occidatur.*

**O**Mnis homo si voluntate non casu occiderit hominem, pro homicidio puniatur.

*Ne domini extra culpam seruos suos occidant: & si ingenuus occidat ingenuum, vel truncauerit.*

**S**I criminis quisque reus vel nefandi consilii socius nequaquam debet indemnis relinqui, quanto magis qui ex studio malitiæ temeranter homicidium dinoscitur perpetrasse? Ideoque, quia sæpe præsumptione crudelium dominorum extra disputationem publicam seruorum animæ perimuntur, extirpari decet hanc omnino licentiam, & huius legis ab omnibus perenniter adimpleri censuram: scilicet vt nullus dominorum vel donatorum seruorum suorum vel ancillarum, seu quaruncunq; personarum, extra publicum iudicium quãdoquidem occisor existat. Sed si talis seruus vel ancilla seu quicumque crimen admiserit ex quo possit mortis debitam damnationem excipere, cumque dominus vel domina propter aliquod pessimum facinus occiderit vel occidendum præceperit, dum hoc ad cuiuscunq; iudicis cognitionem peruenerit, confestim ipse dominus dominave ad iudicium ire cogendi sunt. Qualiter per probationem seruorum vel ancillarum sibi suo sacramento confirmet, quod tale facinus admiserint vnde digni essent, mortis ultione percelli. Nam si ex disposito malitiæ, seruum suum vel ancillam, seu per se seu per alium quemlibet extra publicum examen occidere quicumque præsumperit, pro facti huius temeritate libram auri fisco persoluat, atque insuper perenni infamia denotatus testificari ei ultra non liceat. Qui verò alienum seruum vel ancillam ex deliberatione suæ voluntatis occiderit vel occidendum præceperit, duos eiusdem meriti seruos seu ancillas, occisorum dominus de facultate homicidæ confecturus est: homicida tamen secundum superiorem ordinem perennis exilii pœnam indubitanter excipiat. Nam si dominus fortasse vel domino, in ancilla vel seruo, tam propria quam extero, vel incitatione iniuriæ vel ira commotus, dum disciplinam ingerit, quocunq; ictu percutiens homicidium perpetraverit, & vel testibus probari potuerit, vel certè sacramento suam conscientiam expiauerit, nolendõ tale homicidiũ commisisse, ad huius legis sententiam teneri non poterit. Veruntamen si serui vel ancillæ, instituentibus vel consentientibus dominis, in conseruis suis vel quibuscunq; personis dixerint se homicidium perpetrasse, & per actionem tormentorum eosdem dominos suos talia sibi constituisse taxauerint: serui quidem vel ancillæ talia perpetrantes, ceteris flagellis publicè verberandi sunt, ac turpiter decaluandi. Eorum vero domini, si iurauerint nil tale ordinasse, ad legis huius sententiam nullatenus teneantur. Atque illi qui suos conseruos occiderint, in potestate domini sui eorum causa consistat, vt faciendi de eis quod voluerint licentiam habeant. Si verò alienum quis occiderit seruum, ei proculdubio traditurus est cuius seruum vel ancillam dinoscitur occidisse. Quæcunq; autem persona ingenua propter furti rapacitatem in itinere vel domi positum quemquam insidians occidisse detegitur, homicida continuò pro homicidio puniatur. Et quoniam consilio quisq; vel iussu homicidiũ faciendũ insistens, noxior iudicandus est, quàm ille qui homicidium opere perpetravit: id specialiter constituendum oportuit, vt excepta causa seruorum, de quibus supra taxatum est. Si ingenuum vel ingenuam, per seruum vel

vel ancillam, dominus dominave occidendum præceperit, & per discussionem apud iudicem talia de dominis fuerint manifestè confessi, si hoc per legitimum testem firmare requierint, seruis super dominis suis credi non oportebit. Sed ipsi tunc domini, qui talia iussisse dicuntur, coram iudice se suo sacramento innocentes reddere non morètur. Ipsi verò qui homicidium fecisse confessi sunt, aut pro homicidio puniantur, aut occisorum parentibus vel propinquis tradantur, vt quod de eis facere voluerint habeant potestatem. Quòd si domini eorù iurare nequierint, seruis proculdubio vel ancilla tam noxia perpetrantes, ducentenis verberati flagellis, turpiter etiam decaluandi sunt. Domini verò, quibus iubentibus tale nefas admissum est, capitali se nouerint supplicio perimendos. Nā si ingenui quilibet ex cōmuni consilio homicidiū perpetrare deliberauerint, illi qui fortasse percusserint, aut quocūque ictu hominem interfecerint, morte dānandi sunt. Illi verò qui cum eis consilium habuisse repperiuntur, quanuis non percusserint, propter iniquum tamen consilium, ducentorum flagellorum ictus publicè extēsi, & decaluationis fœditatem passuri sint, atq; insuper proximis occisi parentibus quinquagenos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint vnde componant, perenniter seruituri tradantur.

XIII. FLS. GLS. RCDŌ. REX.

*Ne liceat quemcunque seruum suum vel ancillam quacunque corporis parte truncare.*

Præcedentium non vitia sed virtutes æmulando conlectas, inuenimus hanc legem iustissimè edidit, iniuste abrafam. Et ideo ne humanis excessibus turpandæ imaginis Dei frena laxentur, in nomine Domini, ego Flavius Egiga Rex, ipsis verbis, ipsisque sententiis, illo dudum eam iterum ordine introduxi, quo dudum illam præuiciā iudicij principalis auctoritas collocauit, quæ sic incipit. Superiori quidem lege, dominorum indiscretam sæuitiam à seruorum occisione priuauimus. Nunc etiam ne imaginis Dei plasmationem adulterent, dum in subditis crudelitates suas exercent, debilitationem corporum prohibendam oportuit. Idèò decernimus, vt quicumque dominus dominave, absque iudicis examinatione, & manifesto scelere seruo suo vel ancillæ manum, nasum, labium, linguam, aurem etiam vel pedem absciderit, aut oculum euullerit, seu quamcunque partem corporis detruncauerit, aut detruncare vel extirpare præceperit, trium annorum exilio sub pœnitentia relegetur apud Episcopum, cuius in territorio aut ipse manere aut factum scelus esse videtur. Omnes verò facultates ipsius, si filios habuerit, qui tamen non sint sceleris eius participes, tueantur atque gubernent, reddituri cum redierit rei domino rationem. Si certe filii legitimi de fuerint, aliis parentibus ita iudex facultates eius custodiendas committat, qualiter cum redierit de rebus suis ratio illi reddatur. Sin autem nullus de proximis fuerit, iudex ipse curam habebit qualiter cuncta gubernet atq; conseruet, & de eisdem rationem postea reddat.

XIII. FLS. CHDS. REX.

*Vt homicidam cunctis liceat accusare.*

Si homicidam nullus accuset, iudex mox vt facti crimen agnouerit, licentiam habeat corripere criminofum, vt pœnam reus excipiat quam meretur. Nec enim propter accusatoris absentiam, aut aliquod fortasse colludium sceleris, debet vindicta differri: sed tam vxor mortem mariti si quid noxium ab alio forte pertulerit, quàm etiam maritus si simile aliquid vxotem pati contigerit, licitum habebit inquirere, & iuxta qualitatē criminis legaliter vlciscendum insiltere. Ita vt si manente aduersus reum tali intentione maritus & vxor vitam finierint, & imperfectam causam reliquerint, eorum filii seu propinqui, quibus ad capiendam hereditatem legitima successio competit, accusare reum vel homicidam, ac sicut parentes facere poterant, instanter persequi habeant potestatem. Nec enim dignum est parentum aut propinquorum habere facultatem, si non reus vel homicida debitam sententiam condemnationis excipiat. Quod si iudex admonitus huius rei vindex esse distulerit, & dilatans accusantes ad regiam cognitionem ex hoc querela peruenerit, sciat se pro mortuo, quem vindicare noluerit, medietatem homicidii, hoc est, cc. quinquaginta solidos petenti esse daturum. Facultates sanè eius, qui pro suo scelere est puniendus, non antea cuiquam vsurpare conceditur, nisi per iudicium vltionis ex lege sententia detur.



*Quod & proximis & extraneis homicidam conceditur accusare.*

**C**VM cæterorum criminum reos pœnis semper oporteat excipere quas merentur, necesse esse putandum est homicidas vnquam indomnes relinquere, quos seueriori magis condecet atrocitate puniri. Ne ergo possit ead. re homicida quod fecit, aut aliquis scelus eius præsumat forsitan excusando celare, primo proximis occisi conceditur licentia accusandi. Quod si idem proximi ad quærendam defuncti mortem aut tepidi fuerint aut forte distulerint, tunc accusandi homicidam omnibus generaliter, tam aliis parentibus quam externis, aditum pandimus. Ita vt qui homicidam fraudulenter excusare conatus fuerit vel defendere, commodum quod propterea fuerat consecutus, in duplum compellatur accusatori persolvere. Nam homicidii reus nunquam potest esse securus, cum contra eum accusationem deferre nulli penitus licentia denegetur.

XVI. FLS. CHDS. REX.

*Si homicida ad Ecclesiam confugiat*

*præcipi.* **N**ON sumus immemores, de homicidis hæctenus atque maleficis diuersas quidem legum sententias præcessisse, & iuxta qualitatem & cleris pœnas esse propositas, quas vnusquisque eorum merebatur excipere. Tamen qui nequitiæ huius auctores, quantum in malis amplius prompti sunt, tantum ad euadendum supplicium occasiones sæpe præcedunt: ac se plerumque Basilicarum Dei defensionem committunt, qui contra diuinum præceptum scelera perpetrare non metuunt. Ideoque quia nunquam debet hoc scelus inultum relinqui, quod & vitam perimit, & quorundam mentes ad deterius frequenter impellit, hoc omne per æuum mansurum damus edictum: Vt quemcunque homicidam seu maleficum lex puniri præcipit, & præterea qui ex suo disposito vel malæ voluntatis assensu tale nefas committit, nulla hunc occasio nullaque vnquam ab hac sententia potestas excuset. Sed etiam si conigerit eum ad altare sanctum fortasse confugere, non quidem præsumat eum absque consultu sacerdotis persequor eius abstrahere. Consulto tamen sacerdote ac reddito sacramento, ne eundem sceleratum publicæ mortis pœna condemnet, sacerdos eum sua intentione ab altari repellat, & extra horum pronunciat: & sic ille, qui eum persequitur, comprehendat. Cui ab Ecclesia eiecto, non alias mortiferas inferat pœnas, sed in potestate parentum, & eorū cuius propinquus occisus fuerit, contradendus est: vt excepto mortis periculo, quicquid de eo scire voluerint, licentiam habeant. Quatenus dum malorum prauitas conspicit constituta sibi supplicia præterire non posse, vel metu saltem territus a malis absteineat, quem malæ voluntatis intentio ad illicitum facinus sponte sæpe præcipitat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De parricidis & eorum rebus.*

**D**VM nullum homicidium voluntate commissum, nostris legibus relinquatur inultum, & illum magis oporteat mortem excipere qui consanguinitate proximum præsumpsit occidere: proinde hoc omne per æuum promulgamus edictum, vt quicumque parricidium fecerit, hoc est, patrem aut matrem, seu fratrem aut sororem, vel quemcunque sibi propinquum, proposito vel intentione prauæ voluntatis occiderit, confestim comprehensus a iudice eadem morte puniatur qua ipse alium punire præsumpsit. Ita vt si vir siue mulier sit qui parricidii crimen admiserit, si filios non habuerit, omnis parricidæ hereditas ad heredes & propinquos occisi pertineat. Si verò filios de alio coniugio habuerit, medietas facultatis eius filiis occisi proficiat, & medietas filius parricidæ, si tamen in scelere patris aut matris conscii non fuerint approbati. Nam si conscios eos scelus parentum habuerit, omnis parricidæ hereditas filiis occisi proficiat. Quod si neque parricida neque occisus filios reliquerint, tunc omnem facultatem parricidæ, parentes occisi aut propinqui sibi in omnibus vindicabunt: vel proximi, qui eius mortem vlciscendam institerint, iuri suo applicare non dubitent.

XVIII. ANTIQVA. NOVITER. EMENDATA.

*De his qui proximos suos sanguinis sui occiderint.*

**S**I pater filium aut filius patrem, seu maritus vxorem aut vxor maritum, aut mater filiam aut

liam aut filia matrem, aut frater fratrem aut soror sororem, aut focerum gener aut generum focer, vel nurus focrum aut focrus nurum, vel quemcunque consanguinitate sibi proximum aut suo generi copulatum occiderit, morte dampnetur. Quòd si propter hoc homicida ad Ecclesiam vel altaria sancta concurrerit, in potestate parentum vel propinquorum occisi tradendus est: vt salua tantum anima quicquid de eo facere voluerint habeant potestatem. Omnem verò substantiam suam heredibus occisi, iuxta legis superioris ordinem, iubemus addici, aut etiam fisco si heredes proximos occisus non reliquerit, sociari. Nam homicida nec facultatibus suis liberatus vtetur, etiam si pœnâ mortis euadere mereatur.

## XIX. ANTIQVA.

*Si à proximo sanguinis casu proximus occidatur.*

SI pater filium, aut mater filiam, aut filius patrem, aut frater fratrem, aut quemlibet sibi propinquum, grauibus coactus iniuriis, aut dum repugnat occiditur, & hoc idoneis testibus, quibus meritò fides possit adhiberi, apud iudicem potuerit approbare, quòd patricidium dum propriam vitam tuetur admiserit, securus abscedat, nec vllum vitæ periculum aut dispendia facultatum vel tormenta formidet, illa discretionem seruata, quæ in cunctis casibus est de homicidis constituta.

## XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si seruus seruam casibus præscriptis occidat.*

SI cunctis supra scriptis casibus, seruus seruam occidisse detegitur, omnem compositionis summam, quæ de casu tali est occisione taxata, serui dominus ex medietate domino serui persoluat. Quòd si pro eo satisfacere contemnat, seruum sine dubio tradat.

---



---

DE FVRTIS ET FALLACIIS,  
LIBER SEPTIMVS.

## I. TITVL.

## DE INDICIBVS FVRTI.

- i. *De indice & his quæ indicare dicuntur.*  
 ii. *De non credendo indicanti seruo, nisi cum domini testimonio.*  
 40 iii. *Si index furti sit conscius.*  
 iiii. *De mercede indicis.*  
 v. *Si innocens in quocunque crimine accusetur ab indice.*

## I

*De indice & his quæ indicare dicuntur.*

**I**VDEX reum qui accusatur antea non torqueat, quàm ille qui accusat, si indicem præsentare noluerit, se per placitum trium testium roboratione firmatum ea conditione constringat, vt si is qui accusatus est manifestis indiciis innocens comprobatur, ipse pœnam quam alii intendit excipiat: & tamen postquam innocetia patuerit accusati, accusator à iudice distringatur, vt pro agnoscenda rei veritate indicem præsentet inuitus. Quem si præsentare nequiverit, saltem quis sit ex nomine manifestet, vt districtus à iudice vera conuincat esse quæ indicauit. Quòd si eum ipse iudex per alicuius potentis defensionem aut patrocinium seu metu regiar potestatis discussioni suæ præsentare non potuerit, ad regiam id cognitionem si prope est deferre procuret. Si autem longe est, Episcopo vel iudici renuntiet, vt eorum maior auctoritas, hunc iudicio faciat præsentari. Quòd si neglexerit nuntiare, de propria iudicis facultate omne quod perit iussu principis vel Episcopi atque iudicis querelanti restituarur. Index autem si non potuerit probare quod indicauit, pro omni satisfactione teneatur obnoxius. Quòd si rei causa est: si ingenuus est cum infamia nouecuplam, seruus verò sexcuplam com-



positionem exfoluat, & c. insuper flagella idem seruus accipiat. Quod si idem ingenuus vnde componat non habuerit, & ei quem infamare tentauit, & ei cui mentitus est, pariter seruiturus tradatur. Seruus verò si compositionem pro se exsoluere non potuerit, aut si noluerit pro eo satisfacere dominus, seruum pro reatu tradere non moretur.

## II. ANTIQVA.

*Non credendum indicanti seruo nisi cum domini testimonio.*

**S**I seruus sine conscientia domini sui aliquid indicauerit, aliter ei non credatur, nisi dominus pro persona serui testimonio suo dixerit esse credendum, de honestate mentis eius profertens testimonium verum.

## III. ANTIQVA.

*Si index furti sit conscius.*

**S**I index furti conscius comprobatur, nullam pœnam incurrat, sed dampnum absolutionis euadat. Mercedem verò pro indicio non requirat, cui sufficere debet vt securus abscedat. Qui si forsitan rem quæ furtim ablata est, cum furti ipsius consorti diuiserit, quæ in portionem suscepit, & apud se retinuit, † sumpta tantum restituat.

## IV. ANTIQVA.

*De mercede indice.*

**S**I quis furem prodiderit, si tamen furti ipsius conscius non est, non plus pro indicio accipiat, nisi quantum res valuerit quæ furtim ablata est: si tamen domino rei compositio fuerit exsoluta. Sin autem talis sit fortasse conditio, vt necesse sit illum qui fur probatur occidi, & nihil de eius facultatibus inueniatur: aut si seruus fuerit, & dominus serui substantiam eius suæ vendicet potestati, & in compositionem qui perdiderit res suas, nihil fuerit consecutus: tunc tertiam partem de repperta re, pro mercede iudicii consequatur, & delator nil amplius iam requirat.

## V. ANTIQVA.

*Si innocens in quocunq; crimine accusetur ab indice.*

**Q**uicumque accusatur in crimine, id est, veneficio, maleficio, furto, aut quibuscunq; factis illicitis, accusator eius concurrat ad comitem ciuitatis, vel iudicem in cuius territorio est constitutus: vt ipsi secundum legem causam discutiant: & cum cognouerint erimen admissum, reum comes & iudex comprehendant. Et si capitalia non admiserit, tunc ei cui reus est aut componere compellatur: aut si non habuerit vnde componat, fertiturus tradatur. Si verò innocens approbatur, de iudicio securus abscedat. Ille verò qui accusauit, & pœnam & dampna suscipiat quæ debuit pati accusatus, si de crimine fuisset conuictus. Comes tamen aut iudex nullum discutere solus præsumat, ne aliquod possit esse colludium, vt innocens fortasse tormenta sustineat. Prius tamē pœnæ non subiaceat, quàm aut sub præsentia iudicum manifestis probationibus arguatur, aut certè sicut in aliis legibus continetur, eum accusator inscribat: & sic in præsentia iudicum superius nominatorum quæstionis agitetur examen.

## II. TITVL.

## DE FVRIBVS ET † FVRATIS REBVS.

- † furti.
- I. Vt exponat quid querit qui furtiuam rem se querere dicit.
  - II. Si seruus ante datam seu post datam libertatem faciat furtum.
  - III. Si seruus ad alium dominum transiens, quodcunq; committat illicitum.
  - IV. Si ingenuus cum seruo alieno faciat furtum.
  - V. Si dominus cum seruo suo faciat furtum.
  - VI. Si seruus alienus suadeatur ad illicita faciendâ.
  - VII. De his qui cum furibus consciu fuerint.
  - VIII. Si de fure quis nesciens comparauerit.
  - VIII. Si de fure quis cognitus comparauerit.
  - X. De pecunia & rebus regis furto sublati.
  - † furtis.
  - XI. De tintinnabulis † sublati.
  - XII. De instrumentis molini furati.

- XIII. *De dampno furis.*  
 XIV. *Vt fur captus perducatur ad iudicem, & vt ingenuus cum seruo faciens furtum, vnā compositionem exsoluant.*  
 XV. *Si fur se gladio vindicans occidatur.*  
 XVI. *Si fur nocturnus dum capitur occidatur.*  
 XVII. *De maletractis & indebitè contractis rebus, & vt tantum de illa re compositio fiat quae fuerit sublata.*  
 XVII I. *De his qui aduersis naufragiis rapiuntur.*  
 XVIII. *De hereditate & successionibus furis.*  
 10 XX. *De his qui fures aut reos captos excusserint.*  
 XXI. *Si seruus domino vel conseruo fecerit furtum.*  
 XXII. *Infra quod tempus fur captus iudici presentari iubetur.*  
 XXIII. *Si furtiue alienus quadrupes occidatur.*

## I. ANTIQVA.

*Vt exponat quid querit qui furtiuam rem se querere dicit.*



VI rem furtiuam requirit, quid quærat iudici occulte debet exponere; vt ostendat per manifesta signa quid perdidit: ne veritas ignoretur, si non euidencia signa monstrauerit.

## II. ANTIQVA.

*Si seruus ante datam seu & post datam libertatem faciat furtum.*

SI quis in seruitio constitutus furtum admiserit, & postea à domino suo fuerit manumissus, illa quæ antea admiserat ad dampnum domini non pertineant, sed ipse sic seruus pœnam & dampnum legibus suscipiat constitutum, qui illicita perpetrasse dinoscitur. Quod si post datam libertatem hoc fecerit, ita vt seruus & compositionem & ceterum flagella sustineat. Quod si tale factum non fuerit propter quod seruituti tradatur, in libertate accepta nihilominus permaneat.

## III. ANTIQVA.

*Si seruus ad alium dominum transiens quodcunque committat illicitum.*

SI seruus dum ad alium dominum transiens, aliquid de rebus prioris domini inuolauerit aut abstulerit seu quodcunque aliquid damnosum intulerit, dum pro crimine cupiditatis cupit addici, discutatur à iudice: & si hoc erimen admisisse conuincitur, posterior dominus si voluerit pro seruo dampnum compositionis exsoluat. Certe si noluerit seruum, secundum criminis qualitatem tradatur ad pœnam.

## IV. ANTIQVA.

*Si ingenuus cum seruo alieno faciat furtum.*

SI quis ingenuus cum seruo alieno in crimine inuentus fuerit, vt furtum forsitan faciant & aliquid rapiant, aut illicitum quodcunque committant; secundum superiorē legem medietatem eiusdem compositionis exsoluant, ita vt ambo publicè fustigentur. Et si noluerit dominus pro seruo satisfacere, ipsum seruum pro compositione tradere non moretur. Quod si capitalia forte commiserint, simul seruus cum ingenuo morte dampnetur.

## V. ANTIQVA.

*Si dominus cum seruo suo faciat furtum.*

SI dominus cum seruo suo ad furtum faciendum ierit, hanc compositionem non seruum sed dominum implere iubemus. Ita tamen vt dominus eius iuxta leges ceterum flagellis fustigetur. Seruus autem ideo erit indempnis, quia domini iubētis obediuit imperiis.

## VI. ANTIQVA.

*Si seruus alienus suadet ad illicita facienda.*

SI quis seruum alienum ad furtum faciendum aut alias ad quascunque res illicitas



committendas, vel etiam aduersus seipsum forte persuaserit, vt domino eius perditionem exhibeat, quo facilius eum per malam & iniquam persuasionem ad suum seruitium fraudulenter addicat, & fraus ipsa iudicis fuerit inuestigatione detecta: dominus serui nec seruum perdat, nec vllam calumniam pertimescat. Sed ipse cuius colludio vel suasionem seruus crimen admiserat, vt eum sibi per aliquam occasionem ad seruitium potuisset addicere; ipsi eius serui domino, quantum ille inuolauerit, aut quantum culpabilem rem admiserit, septuplam compositionem implere cogatur. Ipse autem seruus in conuentu publice centum flagella suscipiat, pro eo quod dominum suum despiciens insidiantem consenserat, & sic postmodum domino suo seruus redatur.

10

## VII. ANTIQVA.

*De his qui cum furibus consci fuerint.*

**N**on solum ille qui furtum fecerit, sed etiam quicumque conscius fuerit, vel furtim ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subiaceat.

## VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si de fure quis nesciens comparauerit.*

**V**niuersam rem nulli ingenuo liceat de incognito homine comparare, nisi certe fidei iussorem adhibeat cui credi possit, vt excusatio ignorantie auferatur. Quod si aliter fecerit, qui comparauerit, à iudice districtus auctorem præsentet infra tempus sufficienter à iudice constitutum. Et si fur ipse habuerit vnde compositionem exsoluat, integram aut similem rem domino rei sarciat: possideat autem emptor si particeps fraudis non inuenitur, secure quod emit: vel si dominus voluerit rem furtiuam sibi recipiat, & furem cum omni compositione furti tradat emptori. Si autem non habuerit fur vnde sicut dictum est compositionem domino aut emptori exsoluat, legibus institutus teneatur modus. Quem si non potuerit inuenire, approbet se aut sacramento aut testibus innocentem, quod eum furem nescierit: & quod apud eum agnoscitur, accepta precii medietate restituat. Atque ambo datis inuicem sacramentis promittant, quod furem fideliter quærent. Quod si omnino fur inueniri nequiverit, rem tantum, quæ empta est, domino rei emptor ex integritate reformet. Si verò dominus rei furem nouerit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quiete possideat. Hæc de seruis forma seruetur.

## VIII. FLS. RCDS. REX.

*Si de fure quis cognitus comparauerit.*

**S**i quis rem furtiuam sciens à fure comparauerit, ille qui emit suum præsentet auctorem, & postea tanquam fur componere non moretur. Si verò furem non inuenerit, duplam compositionem quæ à furibus debetur exsoluat. quia apparet & illum furi esse similem, qui rem furtiuam sciens comparasse cognoscitur. Quod si seruus hoc fecerit, aut medietatem compositionis de ingenuis persoluat, aut hunc seruiturum dominus tradat.

## X. ANTIQVA.

*De pecunia & regis rebus furto sublati.*

**S**i quis de thesauris publicis pecuniam aut aliquid rerum inuolauerit, & in vsu suo transtulerit, nouecuplum restituat.

## XI. ANTIQVA.

*De tintinnabulis furatis.*

**S**i quis tintinnabulum inuolauerit de iumento vel boue solidum reddat. De vacca tremisses duos. De berbicibus vel quibuscunque pecoribus tremisses singulos cogatur exsoluere.

## XII. ANTIQVA.

*De instrumentis molini furatis.*

**S**i quis de molinis aliquid inuolauerit, quod furatum est restituat, & insuper componat, sicut de aliis furtis lege tenetur, & extra hoc c. flagella suscipiat.

XIII.

XIII. FLS. RCDS. REX.

*De dampno furis.*

**C**uiuslibet rei furtum, & quantalibet precii æstimatione taxatum ab ingenuo nouies, a seruo vero sexies, ei qui perdidit sarcietur, & uterque reus centum flagellorum verberibus coerceatur. Quod si aut ingenuo desit vnde componat, aut dominus componere pro seruo suo non annuat, persona quæ se furti contagio sordidauit, seruitura rei domino perenniter subiacebit.

XIV. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Vt fur captus perducatur ad iudicem, & vt ingenuus cum seruo faciens furtum vnã compositionem exsoluat.*

**F**ur si captus fuerit, perducatur ad iudicem: ita vt ingenuus nouecuplo sublata restituat, & extensus publice coram iudice centum flagella suscipiat. Quod si non habuerit vnde componat, careat libertate, illi seruiturus cui furtum fecerit. Seruus autem sexcupli compositionem cogatur exsoluere, & centum flagella ante iudicem extensus accipiat. Ipse vero in custodia a iudice teneatur, quousque dominus eius pro eo admoneatur, vt aut pro seruo suo componere non moretur, aut si certe distulerit, eum pro crimine cui malum fecit tradere non moretur. Id denique in hac lege seruandum est, vt si seruus & ingenuus, seu serui & ingenui, vnum animal aut quamcumque vnã rem pari consensu furauerint, vnã compositionem exsoluant: Id est ingenuus medietatem nouecupli, & seruus idem medietatem sexcupli, flagella tamen secundum superiorem ordinem accepturi. Nam & de maioris summa furti, a seruo & ingenuo vel seruis & ingenuis facta, prædicta forma seruabitur. Et quemadmodum superius constitutum est, ante iudicem flagellandi sunt.

XV. ANTIQVA.

*Si fur se gladio vindicans occidatur.*

**F**ur qui per diem se gladio defendere voluerit, si fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur.

XVI. ANTIQVA.

*Si fur nocturnus dum capitur occidatur.*

**F**ur nocturnus captus in furto dum res furtiuas secum portare conatur, si fuerit occisus mors eius nullomodo vindicetur.

XVII. ANTIQVA.

*De malefactis & indebite contractis rebus, & vt tantum de illa re compositio fiat quæ fuerit sublata.*

**S**i quis res aut vestimenta aliena malè tractauerit, aut in itinere constitutum in aliquo contigerit, vel furtim ei quodcumque sustulerit, non pro omni sarcina solutionem implere cogatur, sed de hoc quod furtim abstulit, vel male tractauit, secundum legem componere non moretur.

XVIII. ANTIQVA.

*De his qui aduersis naufragis rapiuntur.*

**Q**uicquid de incendio, ruina vel naufragio raptum fuerit, & aliquis ex hoc quicquam ab alio susceperit siue celauerit, in quadruplum reformare cogatur.

XIX. ANTIQVA.

*De hereditate & successione furis.*

**S**i quis furi mortuo in hereditatem aut ex testamento aut ex sanguinis propinquitate successerit, quia crimen cum fure defecit, pœnam quidem non sustineat, sed damni satisfactionem exsoluat, quod fur si vixisset fuerat soluturus. Si autem maius est damnum quam hereditas, faciat cessionem.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De his qui fures aut reos captos excusserint.*

**S**i quis furem captum aut reum alicui excusserit, si maioris loci persona est, exten-



sus coram iudice pro sola præsumptione c. flagella suscipiat, & quem excussit representare cogatur. Quod si alter eum prendiderit cuius causa non est, de ea compositione quam fur facere potuerat pro labore suo quartam partem accipiat. Si autem fur inuentus non fuerit, iam tunc & pœnam furis qui hunc excussit perferat, & tantum de suo ipse componat, quantum fur quem excusserat conuictus satisfacere potuerat. Si certe minor persona fuerit, & furem præsentauerit, pro præsumptione sola & ipse c. flagella suscipiat. Si autem furem inuenire non potuerit, & pœnam furis & dampna ipse sustineat. Nam si præter furem alterius criminis quicumque reum excusserit, similiter c. flagella extensus accipiat: & si eum inuenire vel præsentare nequiverit, eidem continuo vindictæ subiaceat, quam reum illum qui excussus est legalis sanctio pati demonstrat. Si vero seruus domino nesciente ista commiserit, pro præsumptione sola ducta flagella suscipiat, & quem excussit præsentet. Quem si non præsentauerit, dominus eius si voluerit pro eo summam compositionis exsoluat. Quod si componere noluerit, iuxta crimen admissum, seruum aut pro dampno aut pro supplicio tradat.

## XXI. ANTIQVA.

*Si seruus domino vel conseruo fecerit furtum.*

**S**I seruus domino suo vel conseruo aliquid inuolauerit, in domini potestate consistat. Quod de eo facere voluerit, nec iudex se in hac re admisceat, nisi dominus serui fortasse voluerit.

## XXII. ANTIQVA.

*Infra quod tempus fur captus iudici præsentari debetur.*

**S**I quis furem aut quemcunque reum comprehenderit, statim perducatur ad iudicem. Cæterum suæ domui amplius quam vna die ac nocte eum retinere non audeat. Si quis contra hoc fecerit, v. solidos pro sola præsumptione iudici cogatur exsoluere. Et si seruus hoc sine domini sui conscientia fecerit, c. flagella suscipiat. Si vero seruus cum domini voluntate id commiserit compositio redundet ad dominum. Ita ut si honesti loci persona est, x. solidos iudici cogatur exsoluere: ex quibus medietatem sibi iudex vsurpet, aliam vero medietatem illi det qui dampnum noscitur pertulisse.

## XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si furtive alienus quadrupes occidatur.*

**S**I quis caballum alienum aut bouē aut quodlibet animalium genus nocte aut occulte occidisse conuincitur, nouecupli compositionem dare cogatur. Quod si conuincti non potuerit quod talia fecerit, sacramentum euentissimè dabit. Si vero hoc seruus immitte domino commiserit, & ex hoc manifestis indiciis inuenitur, dominus serui tanquam fur nouecupli compositionem implere cogatur. Quod si seruus non conuincitur inscribatur: & cum inuentus fuerit talia commisisse, aut sexcuplum reddat, aut cui dampnum fecerit ipse seruiturus subiaceat. Quod si innoxius fuerit inuentus, iuxta quod aliis legibus est decretum satisfaciatur petitor domino serui.

## III. TITVL.

## DE VSRPATORIBVS ET PLAGIATORIBVS mancipiorum.

- I. *Si quis mancipium alienum vsurpet.*
- II. *Si seruum vel ancillam ingenuus plagiasset detegitur.*
- III. *De ingenuorum filiis plagiatis.*
- IIII. *Si seruus alienum plagiauerit seruum.*
- V. *Si seruus ingenuum plagiauerit domino imperante.*
- VI. *Si seruus ingenuum plagiauerit domino nesciente.*

## I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si quis mancipium alienum vsurpet.*



Quicumque ingenuus mancipium vsurpauerit alienum, eiusdem meriti mancipium alterum cum eo compellatur domino reformare. Si vero seruus hoc fecerit, ipsum mancipium illi domino reddat, & c. flagella suscipiat.

fulcipiat. Quod si usurpatum mancipium præfens non fuerit, dominus serui eiusdē meriti mancipium illi domino det; qui mancipium amittit, donec qui ablatuſ est restituatur, & sic ille qui pro eo donatus fuerat, seruiturus domino reformetur.

## II. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si seruum vel ancillam ingenuus plagiaſſe detegatur.*

10 **S**iquis ingenuus seruum alienum vel ancillam alienam plagiauerit, quatuor seruos vel quatuor ancillas domino dominæve reformare cogatur, & c. flagellis publice verberetur. Quod si non habuerit vnde componat, ipse subiaceat seruituti.

## III.

*De ingenuorum filiis plagiaſtis.*

20 **Q**ui filium aut filiam alicuius ingenui vel ingenuæ plagiauerit aut sollicitauerit, & in populos nostros vel in alias regiones transferri fecerit, huius sceleris auctor patri aut matriatribusque si fuerint siue proximis parentibus in potestate tradatur, vt illi occidendi aut vendendi eum habeant potestatem. Aut si voluerint, compositionem homicidii ab ipso plagiatore consequantur, id est, solidos †ccc. qui à parentibus ven- † quingētos.  
30 dit aut plagiati non leuius esse potest quàm si homicidium fuisset admissum. Quod si eum ex peregrinis ad propriam regionem potuerit reuocare plagiator, †cl. solidos †cccl. hoc est medietatem homicidii exsoluat. Aut si non habuerit vnde componat, ipse subiaceat seruituti.

## IV.

*Si seruus plagiauerit seruum alienum.*

30 **S**i seruus seruum plagiauerit alienum domino nesciente, seruus qui hoc fecerit, cl. flagella coram iudice extensus accipiat, & sic etiam postmodum qui plagiatus est domino reformetur. Ille vero cuius seruus plagiatus fuerat, mercedem capturæ à plagiatoris domino non requirat. Ita tamen vt si fortasse qui plagiatus est tarde repperiatur, plagiatoris dominus alium eiusdem meriti mancipium, aut etiam eundem plagiatorum ei cuius seruus vel ancilla plagiata est dare compellatur, tandiu sibi seruiturum quandiu suus seruus aut ancilla ei restituatur, & ita ille postmodum domino reformetur.

## V. ANTIQVA.

*Si seruus ingenuum plagiauerit domino imperante.*

40 **S**i seruus ingenuum plagiauerit ex domini iussione, ipse dominus compositionem quæ est de ingenuis constituta compellatur implere. Ita vt dominus c. flagella publice fulcipiat, & seruum iussa domini complementem molestia non attingat.

## VI. ANTIQVA.

*Si seruus ingenuum plagiauerit domino nesciente.*

50 **S**i seruus sine conscientia domini sui ingenuum plagiauerit, parentibus plagiati sine aliqua dilatione tradatur, vt quod de eo facere vcluerint in eorum consistat arbitrio. Quod si qui plagiatus est reduci potuerit, & dominus pro seruo componere vcluerit, libram auri pro iniuriâ ingenui dabit.

## III. TITVLVS.

DE CVSTODIA ET SENTENTIA  
damnatorum.

- I. *Si iudex pro crimine interpellatus postea contemnatur.*
- II. *Vt comes iudici auxilium præbeat pro comprehendendis in crimine accusatis.*
- III. *Si carcerem quis frangat, aut custodi persuadeat.*
- IV. *De tollendis commodis ab his qui in custodia retinentur.*
- V. *Si iudex criminibus fauens criminisum absoluat.*
- VI. *De damno iudicis criminisum indebitè absoluentis.*
- VII. *Vt reus non in absconſo sed publicè percipiat sententiam.*



*Si iudex pro crimine interpellatus postea contemnatur.*

**S**I quis pro furto interpellauerit iudicem, & eum contemnens postea sine conscientia eius aliquid dederit vel ab eo in compositionem acceperit, pro præsumptione sua v. solidos iudici inuitus exsoluat. Quod si hoc seruus sine conscientia domini sui fecerit, c. flagella suscipiat, & dominus serui nullam calumniam pertimescat. Nam si cum domini voluntate hoc fecerit, ipse dominus compositionem superius comprehensam compellatur exsoluere.

II.

*Vt comes iudici auxilium præbeat pro comprehendendis in crimine accusatis.*

**Q**uotiens Gothus seu quislibet in crimine aut in furto vel aliquo scelere accusatur, ad corripiendum eum iudex insequatur. Quod si forte iudex solum illum comprehendere vel distringere non potest, à comite ciuitatis quærat auxilium, cum solus sibi sufficere non possit. Ipse tamen comes illi auxilium dare non moretur, ut criminis reus insultare non possit.

III.

*Si carcerem quis frangat aut custodi persuadeat.*

**S**I quis carcerem fregerit, aut custodi persuaserit, vel ipse carcerarius aut custos quos compeditos habuit, sine iudicis iussione aliqua fraude laxare præsumperit, eandem pœnam vel damnum quod ipsi rei fuerant excepturi sustineant.

IIII.

*De tollendis commodis ab his qui in custodi retinentur.*

**I**udex si aliquos in custodia retinuerit, vel hi qui reos capiunt aut custodiendos accipiunt, ab his quos in custodia miserint innocentes, catheraticii nomine nil requirât, nec pro absolutione eorum aliquid beneficii consequantur. Quos verò culpabiles in custodia retinuerint, per singulos quos capiunt, singulos tremisses sibi præsumere non vetentur. Si vero talis sit fortasse conditio ut ille qui captus fuerat ad exsoluendam compositionem relaxetur, ipse iudex eandem compositionem cogatur implere. Quæ cum ad eum, cui debetur ad integrum, ipso insistente peruenerit, pro labore suo decimum consequatur. Si quis amplius quàm nos statuimus, accipere fortasse præsumperit, ei cui abstulit reddat in duplum.

V. ANTIQVA.

*Si iudex criminibus fauens crimosum absoluat.*

**S**I iudex quolibet beneficio corruptus aliquem innocentem occiderit, simili morte dampnetur. Si verò eum qui morte dignus est crimosum absoluerit, septuplum quantum pro eius absolutione acceperat, illi cui erat culpabilis cogatur exsoluere. Et de iudiciaria potestate repulsus, infamis à sibi successore iudice distringatur ut eum quæ relaxauit præsentet in iudicio, qualiter de crimine cõuictus pœnam excipiat quàm meretur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De dampno iudicis crimosum indebite absoluentis.*

**I**udex crimoso non parcat pro patrocínio aut amicitia alicuius. Nã si fauens criminibus non iudicauerit innocentem, & absoluerit crimosum, non quidem moriatur, aut debilitationem corporis patiat, sed tam pro homicidio quàm pro omni negotio summam compositionis exsoluat.

VII. ANTIQVA.

*Vt reus non in absconso sed publicè percipiat sententiam legis.*

**I**udex quotiens occisurus est reum, non in secretis aut in absconsis locis, sed in cõuentu publicè exercent disciplinam.

V. TITVLVS.

De falsariis scripturarum.

- I. De his qui regias auctoritates & præceptiones falsare præsumserint.
- II. De his qui scripturas falsas fecerint vel falsare tentauerint.
- III. De his qui sub nomine Regis aut iudicis commonitoria falsa siue finxerint siue detulerint.
- IIII. De his qui testamentum contra uiuentis voluntatem aperuerint.
- IO V. De his qui voluntatem defuncti celare vel falsare tentauerint.
- VI. Si quisque sibi nomen falsum imponat, aut parentes vel genus mutet.
- VII. De callide & fraudulenter anterioribus scripturis confectis.
- VIII. De callide & fraudulenter posterioribus scripturis confectis.

I.

De his qui regias auctoritates & præceptiones falsare præsumserint.



I qui in auctoritatibus nostris vel præceptionibus aliquid mutauerint, demerint, subtraxerint aut interposuerint, vel tempus aut diem mutauerint siue designauerint, & qui signum adulterinum sculperint vel impresserint: persona honestior mediam partem facultatum suarum amittat, <sup>† si si comp</sup> <sup>modis.</sup> <sup>†</sup> fisco omnibus profuturam: minor uero persona manum perdat, per quam tantum crimen admittit. Quod si contingat illos auditores vel iudices mori, quibus audientia vel iussio destinata fuerat: aut episcopo loci, aut alio episcopo, vel iudicibus vicinis territorio illius, ubi iussum fuerat, negocium terminare liceat, & datam præceptionem offerre, & eorum iudicio negocium legaliter ac iustissime ordinare.

II. FLS. CHDS. REX.

De his qui scripturas falsas fecerint vel falsare tentauerint.

SI quis scripturam falsam fecerit aut recitauerit, vel supposuerit sciens, vel in iudicium protulerit, & qui veram suppresserit, subtraxerit, diruperit & designauerit aut diluerit, & quisque signum adulterinum sculperit, fecerit vel impresserit, talium scelerum rei, eorumque conscii, dum fuerint publicati: si potentiores sunt, quartam partem facultatum suarum amittant. Si uero alieno iuri debitam scripturam subtraxerint aut uitauerint, eandem scripturam subtraxisse vel uitiasse coram iudice sua professione depromant. quæ professio à testibus roborata prædictæ vel uitiatæ scripturæ robur obtineat. Quod si euidentissime quid scriptura contineret recordari non potuerit, tunc ille cuius scriptura fuit, habeat licentiam comprobare per sacramentum suum aut testem quid ipsa scriptura contineret euidenter; & ita datum ueridicè testimonium, scripturæ reparet ueritatem. Si uero minor extiterit facultas eorum quam quod alii facere conati sunt damnatum: ipsi proculdubio, cum his quæ habere uidentur eius seruituti subiciantur, cui fraudem fecisse noscuntur. De quarta uero parte quam dari præcipimus, principe ordinante uel iudice tres porciones ille accipiat, qui damnatum pertulit aut pati potuerit. Quarta uero regie potestati seruetur, ut quid exinde fieri debeat, in arbitrio eius consistat. Humiliores sanè uilioresque persone, qui talia detecti fuerint commisisse, & iuxta superiorem ordinem conscribere debebunt professionem, & perpetuo cui fraudem fecerint addicantur ad seruitutem. Insuper autem tam humiles quam potentes personæ certi: enis flagellorum erunt uerbis coercendæ. Quod si serui hoc fecerint, & eos alieni iuris esse patuerit, illis consignentur perenniter seruituri, quibus scripturam subtraxisse aut celasse uel lesisse fuerint approbati. Quod si iubentibus dominis suis talia fecerint, omne damnatum redundet ad dominum. Ita etiam & de his præcipimus obseruari, qui lucro suo studentes, aliena testamenta uel alias scripturas suppresserint aut uitauerint, ut his quibus competunt, impedire aliquid possint: & hi similiter tanquam falsarii tenentur, & iuxta qualitatem persone superiori danno mulcentur. Quod si de supra taxatis capitulis nil uideatur accidere, id est, qui scripturam alterius repperiatur uitiasse, dirupisse, falsasse, celasse, uel si quid in hac lege constitutum est, admisisse: sed sola negligentia, casu atque incuria, suam quisque perdidit scripturam, uel sibi dixerit fuisse ablatam; si testis in eadem scriptura subscriptus adhuc superstes existit, per ipsum poterit coram iudice



omnis ordo scripturæ perditæ reparari. Quòd si testem ipsum, qui in ea scriptura subscriptor accessit, mortuum esse contigerit; tunc si legitimi & cognitiores reperti fuerint alii testes, qui eandem scripturam se dicant vidisse, & omnem textum vel firmitatem eiusdem scripturæ plenissimè nosse, similiter publica iudicum inuestigatione per eorum testimonium ille qui scripturam perdidit, poterit suam reparare, & percipere veritatem.

## III.

*De his qui sub nomine regis aut iudicis commonitoria falsa sine finxerint sine detulerint.*

**Q**ui falsa commonitoria sub nomine Regis sine iudicis nesciens protulerit non incurrat falsitatis inuidiam, sed eum qui commonitorium dederit, non moretur ostendere. Quod si eum noluerit nominare, aut quod ab eo commonitorium acceperit noluerit approbare, pro qualitate personæ, ipse reatum falsitatis incurrat, sicut superius continetur de his qui falsas scripturas confecerint. Quod si ambo falsitatis conscii habeantur, ambo falsarii teneantur.

## III.

*De his qui testamentum contra viuentis voluntatem aperuerint.*

**Q**ui viuentis testamentum aut ordinationis eius quamcunq; scripturam contra ipsius falsauerit vel aperuerit voluntatem, vt falsarius iudicetur.

## V.

*De his qui voluntatem defuncti celare vel falsare temptauerint.*

**Q**ui defuncti celauerit voluntatem, aut in eadem aliquid falsitatis intulerit, lucrum quod forsitan iudicio testatoris per ipsam scripturam fuerat habiturus amittat, illis quibus fraudem facere conatus est profuturum, & insuper pro falsitate ferat infamiam. Nam si paruum aut nullam rem exinde consequi potuisset, vt falsarius condemnatur.

## VI.

*Si quisque sibi nomen falsum imponat aut parentes vel genus mutet.*

**Q**ui sibi nomen falsum imponit, vel genus mutat, aut parentes finxerit, aut aliquam imposturam fecerit, reus falsitatis habeatur.

## VII. FLS. CHDS. REX.

*De callidè & fraudulenter anterioribus scriptis confectis.*

**Q**uorundam sæpe calliditas exigit, vt nouæ sanctionis constituamus edictum, dum eorum noua & abhorrenda fraudis molimina in aliorum deceptionem concinnata cognoscimus. Proinde quia sunt pleriq; tanto alios circumueniendi studio dediti, vt sub vniuersæ causæ nomine in multis capitulis per scripturæ seriem interdum aliquos obligent, huius perpetim valituræ legis constitutione decernimus: vt quicumque cum alio de negotio speciali de finiens generalem scriptis constitutionem subiroduxerit, atque ita circumuenerit aliquem: vt dum de vna causa fit conuenientia, callidè per scripturam intexat vnde omnem de aliis negotiis alterius vocem extinguat: vel etiam fortasse proueniat, vt non quidem per scripturam sed sub aliis verbis, aliud simulans quicumque aliquem dolosè ac fraudulenter in quocunq; decipiat: huius rei præsumptor, & publicè notetur infamia, & ei quæ circumuenerit manens obnoxius eandem quæ de falsariis lata est censuram legis incurrat. Simili quoque dampno vel pœna multandi sunt, qui propter euacuandam fraudulenter posteriorem scripturam, per anteriorem scripturæ serie res easdem quas posterior scriptura continet, in alterius nomine callidè obligasse reperiuntur. Ita vt tam ille qui sub hac fraude talem scripturam fecisse detegitur, quàm ille in cuius nomine factam fuisse constiterit, si conscius fraudis huius inuenitur, eadem, qua supra taxatum est, & in rebus & in corpore iactura dampnetur; & euacuata priori scriptura, firma nihilominus posterior habeatur.

## VIII. FLS. CHDS. REX.

*De callidè & fraudulenter posterioribus scripturis confectis.*

Non immerito cogitur debitum hæredis exsoluere qui successor hæreditatis noscitur extitisse. Quia ergo nullius fraudis necesse est occasionibus excusari, huius perpetuæ contractum res quascunque dederit, quæ tamen repperiantur quandoquidem, aut non eius iuris fuisse qui dedit, aut id quod dedisse videtur, per priorem scripturam, aut quamcunque definitionem in cuiuscunque prius nomine obligasse, & sub quo alteri dederat, dum fraudis huius commentum manifeste patuerit: ipse quidem qui fecit, si superstes est, & promissionem & pœnam, quam ab eo edita scriptura testatur, 10 supplere cogendus est. Si verò post eius obitum eadem quæ prædicta est fraus inueniri potuerit, id quod auctor spondit de re eius, aut hæredes cum pœna etiam scripturæ compellendi sunt petenti persoluere. Aut si fortasse maior est auctoris sponsio vel pœna per scripturam taxata, quam esse constat eius hæreditas, si noluerint hæredes satisfacere pœnam. Quod si hæredes non sint, ab iis quibus res ipsa vel facultas quæ relicta est possessa fuerit, vniuersa reddi iuxta præsentem sententiam oportebit. Eadem etiam in causis talibus ratione seruata, vt si repperitum fuerit conscio illo eandem fraudem intercessisse, in cuius nomine prior scriptura conscripta dinoscitur, tam ille qui fecit quam ille qui conscio extitit, ad satisfactionem promissionis vel pœnæ quam 20 posterior scriptura continet, secundum superiorem ordinem æqualiter teneantur: atque etiam iuxta tenorem superioris legis, de his qui falsas scripturas confecerint, in corporibus & in rebus dampna pariter sortiantur.

## VI. TITVL.

## DE FALSARIIS METALLORVM.

- I. De torquendis seruis in capite dominorum pro corruptione moneta, & eorum mercede qui hoc visi extiterint reuelasse.
- II. De his qui solidos aut monetam adulterauerint.
- III. De his qui acceptum aurum alterius metalli permixtione corruperint.
- IV. Si quoruncunque metallorum fabri de rebus creditis repperiantur aliquid subtraxisse.
- V. Vt aureum solidum integri ponderis nemo recuset.

## I. ANTIQVA.

*De torquendis seruis in capite dominorum pro corruptione moneta, & eorum mercede qui visi extiterint reuelasse.*

**S**ERVOS torqueri pro falsa moneta in capite domini dominæve non vetamus, vt eorum tormentis veritas facilius possit inueniri. Ita vt si seruus alienus hoc prodiderit, & quod prodiderit verum extiterit, si dominus eius voluerit, manumittatur, & domino eius à fisco precium detur. Si autem noluerit, eidem seruo à fisco tres auri vnciæ dentur. Si vero ingenuus fuerit, sex vncias auri pro reuelata veritate merebitur.

## II. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De his qui solidos aut monetam adulterauerint.*

**Q**VI solidos adulterauerit, circumciderit siue raserit, vbi primum hoc iudex agnoscerit, statim eum comprehendat: & si seruus fuerit, eidem dextam manum abscindat. Qui si postea in talibus causis fuerit inuentus, regis præsentia destinetur, vt eius arbitrio super eum sententia depromatur. Quod si hoc iudex facere distulerit, ipse de rebus suarum bonis quar tam partem amittat, quæ omnimodis fisco proficiat. Quod si ingenuus sit qui hæc faciat, bona eius ex medietate fiscus acquirat: humilior vero statum ingenuitatis suæ perdat, cui rex iusserit, seruitio deputandus. Qui autem falsam monetam sculperit siue formauerit, quæcunque persona sit, simili sententiæ & pœnæ subiacet.

## III. ANTIQVA.

*De his qui acceptum aurum alterius metalli permixtione corruperint.*

**Q**VI aurum ad facienda ornamenta susceperit & adulterauerit, siue æris aut argenti



vel cuiuscunque vilioris metalli permixtione corruerit, pro fure teneatur.

VI. FLS. GLS. RCDS REX.

*Si quorumcunque metallorum fabri de rebus creditis repperiantur  
aliquid subtraxisse.*

**A**urifices, argentarii, vel quicunque artifices, si de rebus sibi commissis aut traditis aliquid subtraxerint, pro fure teneantur.

V. ANTIQVA.

*Vt solidum integri ponderis nemo recuset.*

**S**olidum aureum integri ponderis, cuiuscunque monetæ sit si adulterinus non fuerit, nullus ausus sit recusare, nec pro eius commutatione aliquid monetæ requirere, propter hoc quod minus forte pensauerit. Qui contra hoc fecerit, & solidum aureum sine vlla fraude pèsantem accipere noluerit, aut petierit pro eius commutatione mercedem, districtus à iudice ei cui solidum recusatuerit tres solidos cogatur exsoluere. Ita quoque & de tremisse seruandum.

## DE ILLATIS VIOLENTIIS ET DAMPNIS, LIBER OCTAVVS.

I. TITVLVS.

### DE INVASIONIBVS ET DIREPTIONIBVS.

- I. *Vt solus patronus vel dominus culpabiles habeantur, si eisdem iubentibus ingenuus vel seruus illicita operentur.*
- II. *Si possessor per violentiam expellatur.*
- III. *Si ad faciendam caedem turba coadunetur.*
- IV. *Si intra domum vel ianuam suam violenter aliquis includatur.*
- V. *Vt nulla res ab alio possessa absque iudicio vsurpetur.*
- VI. *Si ad diripiendum quisque alios inuitasse repperiatur.*
- VII. *Ne absque domino, vel in expeditione publica constituto, cuiuscunque domus inquietetur.*
- VIII. *Si aliquid illicitum faciant serui eius qui in expeditione publica est constitutus.*
- VIII. *De his qui in expeditionem euntes aliquid auferre vel depradare presumunt.*
- X. *Vt socios nominet apud quem pars rapina inuenta cognoscitur.*
- XI. *De his qui diripienda indicare repperiuntur.*
- XII. *De his qui itineranti, vel in opere rustico constituto, aliquid abstulerint, vel molestiam inferre presumpserint.*
- XIII. *Si ille qui diripit, in ipsa direptione morte necetur.*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Vt solus patronus vel dominus culpabiles habeantur, si eisdem iubentibus ingenuus vel seruus illicita operentur.*



**H**oc principaliter generali sanctione censetur, vt omnis ingenuus, atq; etiam libertus aut seruus, si quodcunque illicitum iubente patrono vel domino suo fecisse cognoscitur, ad omnem satisfactionem & compositionem patronus vel dominus obnoxii reneantur. Nam qui eius iussionibus obedientiam detulerunt, culpabiles haberi non poterunt, quia non suo excessu sed maioris imperio id commisisse probantur.

II. ANTIQVA.

*Si possessor per violentiam expellatur.*

**Q**uicunque violenter expulerit possidentem priusquam pro ipso iudicis sententia procedat, si causam meliorem habuerit, ipsam causam de qua agitur perdat. Ille vero qui violentiam pertulit, vniuersa in statu quo fuerant recipiat quæ possedit, & securus teneat. Si vero illud inuasit quod per iudicium optinere non potuit, & causam amittat, & aliud tantum quantum inuasit reddat expulso.

## III. ANTIQVA.

*Si ad faciendam eadem turba coadunetur.*

**Q**ui ad faciendam eadem turbas congregauerit, aut qui seditionem alteri unde commeliam corporis sentiat, fecerit vel faciendam incitauerit aut præceperit; mox ut iudex crimen agnouerit, eum comprehendere non morietur. Ita ut captus huius sceleris infamia notatus, extensus publice coram iudice sexaginta flagella suscipiat, & oēs qui cū eo venerint, vel qui id fecerint, nominare cogatur. Ut si in eius patrocinio non sunt, vnusquisque ingenuorum quinquagena flagella suscipiant: serui autem huius criminis socii, si alterius domini sunt, singuli in conuentu publico, ad aliorum terrorem extensi, coram iudice ducentos ictus accipiant flagellorum.

## IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

*Si intra domum vel ianuam suam violenter aliquis includatur.*

**Q**icumque dominum vel dominam intra domum vel cortis suæ ianuam violenter includerit, eisque aditum egressionis negauerit, siue ut id fieret aliis præceperit, pro aui temeritate auctor sceleris det domino vel dominæ auri solidos numero xxx. & in super centum flagella suscipiat. Hi vero qui malis voluntatibus eius consenserint, auxiliūve ut hoc fieret, præstiterint, si in eius patrocinio nō sunt, singuli ingenuorū quinquagena solidos illis quibus violentiā intulerunt cogantur inferre, & pro admissi præsumptione centena flagella suscipiant. Serui autem si id domino vel domina non iubente commiserint, ducentos ictus accipiant flagellorum. Si verò ita dominus vel domina à violento vel præsumptore extra suam domum vel ianuam excludatur, ut continuo, quod est grauius, potestas eius ab ea domo vel familia cæterisq; rebus auferatur, commissor sceleris damnum inuasionis incurrat, atque etiam centum ictus accipiat flagellorum. Ingenui autem huius criminis socii si in eius patrocinio nō sunt, c. flagella suscipiant, & singuli xxx solidos cogantur exsoluere, illis proculdubio profuturos, quibus hanc iniuriam intulisse noscuntur. Quod si hoc serui ignorantibus dominis sua sponte commiserint, serui pœnam sustineant superius comprehensam, domini verò nihil iniuriæ vel detrimenti perferant. Idipsum etiam patiantur, qui domum alienam sua auctoritate, sine regis vel iudicis iussione, apprehendere, describere aut obsignare præsumperint.

## V. FLS. GLS. RCHDS. REX.

*Ut nulla res ab alio possessa absque iudicio usurpetur.*

**N**ullus comes, vicarius, villicus, præpositus, actor aut procurator, seu quilibet ingenuus atque etiam libertus aut seruus, rem quæ ab alio possidetur, post nomen regis si non expectata discussione id quod ab alio possidetur aut iuris alterius esse dignoscitur inuaserit, omne quod abstulit & præsumptuosus inuasit tam in mancipiis quam in cæteris rebus in duplum ei restituat, de cuius iure visus est abstulisse, ac singulorum annorum fruges quas inde fideliter collegisse iurauerit petitori compellatur exsoluere. Et tamen si seruus absque domini voluntate hoc fecerit, cc. insuper extensus flagella suscipiat. Ita ut si dominus pro rei duplatione noluerit satisfacere, rem quæ ablata est in eo statu cum frugibus restituat, & eundem seruum pro facti temeritate insistente iudice ei cuius res inuasit vel abstulit seruiturum tradere non desistat. Omnimodis tamen erit sollicitè perquirendum, ne qualibet suasionem vel fraudis alicuius commento idem seruus cum illius domini voluntate hoc fecerit, cuius rem ablatam esse constiterit: & si ita repperit fuerit, iuxta legem aliam dominus qui suasisit vel malum fieri fraudulenter permisit, quantum seruus tulerat, septuplum dominus rei domino serui perfoluat, & seruum suum dominus eius securus possideat.

## VI. ANTIQVA.

*Si ad diripiendum quisque alios inuitasse repperiatur.*

**S**iquis ad diripiendum alios inuitauerit, ut cuiuscunque rem euectant, aut pecora vel animalia quæcunque diripiant, illi cuius res direpta est in undecuplum



quæ sublata sunt restituantur. Hi vero qui cum ipso fuerint, si ingenui sunt, quinque solidos componere compellantur. Aut si non habuerint unde componant, l. flagella suscipiant. Si vero serui hoc sine domini voluntate commiserint, xl. flagellis verberentur, & ab eis res omnis in statu suo reddatur.

## VII. ANTIQVA.

*Ne absente domino vel in expeditione publica constituti cuiusquam domus inquietetur.*

**N**ullus domum inquietet absentis, nec in expeditione publica constituti: & si quod per iudicium recipere potuisset, absente eo quem fuerat conuenturus, inuaserit, reddat in duplum. Si verò inuaserit quod per nullum iudicium ei debebatur, reddat in triplum. Si quis autem antequam in expeditionem proficiscatur, ad negotium dicendum iudicis fuerit ammonitione conuentus, aut per se causam dicere non moretur, aut per mandati scripturam personam eligat, quæ aduersario suo iudice præsentate respondeat. Quod si nec mandatum dederit, nec respondere voluerit, & sic in expeditionem profectus causam non dixerit, postquam fuerit conuentus à iudice, iudex aduersario suo quæ repetebat iubeat reformari. Illi tamen dum reuersus fuerit, actio referuetur.

## VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si aliquid illicitum faciant serui eius qui in expeditione est publica constitutus.*

**S**illius serui, qui in publica expeditione est constitutus, in aliquo crimine aut illicito facto præuenti extiterint vel detecti, à iudice corripiantur, & secundum legem iuxta qualitatem culpæ dampnentur. Quod si res ad componendum & ad eosdem seruos tradendos fuerit, in custodia teneantur à iudice, donec dominus veniens, aut compositionem, si voluerit, adimpleat: aut si noluerit, eos euidentius tradat. Si verò seruus iniuste occisus fuerit, aut subditus quæstioni, contra iudicem dominus serui, cum reuersus fuerit, causam dicere non vetetur.

## VIII. ANTIQVA.

*De his qui in expeditionem euntes aliquid auferre & deprædari præsumunt.*

**Q**ui in expeditionem vadunt, quæ abstulerint quadrupli satisfactione restituant. Quod si non habuerint unde componant, rem sumptam reddant, & xl. flagella suscipiant. Quod si non iubentibus dominis serui hoc fecerint, rem ablatam in statu reforment & cc. flagella extensi sustineant. Cuius rei exactorem, prouinciarum comites vel iudices aut villici studio suo non morentur impendere: quia prouincias nostras, non volumus hostili prædatione vastari.

## X. ANTIQVA.

*Vt socios nominet apud quem pars rapinæ inuenta agnoscitur.*

**A**pu'd quem scelus aut pars rapinæ fuerit inuenta, statim socios suos cogatur nominare. Quod si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quod si honestioris loci persona est, aut pro scelere rationem reddat, aut quæ ablata vel euerfa fuerint, undecupli compositione restituat, & e. publicè flagella suscipiat. Si certè apud seruum rapinæ pars reperitur, cc. flagella publicè extensus suscipiat, & socios suos nominare non differat.

## XI. ANTIQVA.

*De his qui diripienda indicare repperiuntur.*

**Q**uicumque ingenuus vel seruus aliqua diripienda indicauerit, vt cuiuscunque res euertatur aut pecora vel iumenta diripiantur, & ex hoc certis probationibus publice conuictus inuenitur, pro eo quod indicauerit, centum flagella publice extensus accipiat.

## XII. ANTIQVA.

*De his qui iteranti vel in opere rustico constituto aliquid abstulerint vel molestiam inferre præsumpserint.*

**Q**ui in itinere vel in opere rustico constituto, aliquid violenter intulerit vel abstulerit, vbi ex hoc à iudice fuerit interpellatum, ille qui abstulerit quadruplum restituat. Quod si aliud aliquid cædis vel dampni fecerit, legaliter satisfaciatur. Quod si hoc seruus

seruus domino nesciente commiserit, & centum flagella suscipiat, & dominus pro seruo compositionem exsoluat. Nam si dominus componere noluerit seruum tradere non moretur.

## XIII. ANTIQVA.

*Si ille qui diripit, in ipsa direptione morte necetur.*

**Q**ui aliena diripit, si in ipsa direptione percussus aut occisus fuerit, ille qui percussit nullam calumpniam patiatur.

## II. TITVLVS.

## DE INCENDIIS ET INCENSORIBVS.

- I. *De his qui siue in ciuitate siue extra ciuitatem domibus immiserint ignem.*
- II. *Si ignis immittatur in siluam.*
- III. *Si dum iter agitur, ignis longius dilabetur.*

I.

*De his qui siue in ciuitate siue extra ciuitatem domibus immiserint ignem.*

**Q**ui alienæ domui in ciuitate ignem subposuerit, correptus à iudice ignibus deputetur, & de bonis eius domino domus, si tamen aliquid dampni perulerit, componatur, ac precium domus reddatur incensæ. Sed ille cuius domus incensa est, coram testibus, quantos statuerit sententia iudicantis, præbeat sacramentum, se fideliter quod in domo sua habuit profiteri, nec plus quàm illic conditum fuerat postulare, nec domus suæ precium amplius taxare quàm valuit. Et si post datum sacramentum aliquid fecerit conuincitur, in duplum quæ sunt supra modum debite compositionis exacta illi cogatur inferre qui compositionem exsoluerat. Quod si in domum, sicut superius diximus, ignis immissus ad proximas domos forte, tranterit, iuxta modum dampni inter eos etiam, qui domos vel res suas incendio perdidit, eius substantia diuidatur: si tamen post compositionem illius in cuius domum ignem misit, impletam aliquid de facultatibus eius cognoscitur residuum esse, ita ut simili modo coram testibus sacramento defendant se non amplius repetere, quàm incendio perdidit. Et si post datum sacramentum periurasse noscuntur, hæc quæ amplius exegerint, in duplum ei quem fraudulenta ambitione dampnare voluerant, cogantur exsoluere. Qui vero extra ciuitatem in domum mittit incendium, omnia quæ sunt in domo incensa restituat, & precium domino domus reddere non moretur. sed is cuius domus incensa est coram testibus iurandi interpositione confirmet, se non amplius postulare quàm perdidit: & si post datum sacramentum amplius quàm perdidit exegisse dinoscitur, in duplum ei qui damnum sustinuit coactus exsoluat. Quod si etiam vicinæ domus ex eo quod immisum est incendium forte consumptæ sunt, si de bonis eius superfuerit vnde eis etiam componatur, hi quoque amissa recipiant. Prius tamen cum sacramento coram testibus profiteantur, se non amplius quam perdidit postulare: & si periurasse noscantur aut amplius exegisse, in duplum ei quem fraude dampnauerint male exacta restituant. Ita ut pro correptione qui domum incendit c. flagella suscipiat: & quicumque tale dampnum admittens non habuerit vnde componat, seruituti subiaceat. Si certe cuiuscunque seruus siue in ciuitatem seu extra ciuitatem incendium intulisse cognoscitur, dominus, si seruum tam nocentis admissi voluerit liberare à supplicio, pro eius crimine non moretur componere. Ita ut ipse seruus publice c. ictus accipiat flagellorum: sed ille, cuius domus incensa est, iurare cogatur se amplius non repetere quam in eius domo flamma consumpsit. Et si componere dominus pro seruo noluerit, tradatur seruus ad poenam, ut supplicio capitali admissa persoluat.

## II. ANTIQVA.

*Si ignis immittatur in siluam.*

**S**i quis qualicumque siluam incenderit alienam, siue piceas arbores vel caricas, hoc est ficus, aut cuiuslibet generis arbores cremauerit, correptus à iudice centum flagella suscipiat & pro damno satisfaciatur, sicut ab his qui inspexerint fuerit æstimatum. Quod si seruus hoc domino nesciente commiserit, c. flagellorum verberibus addicetur. Et si pro eo dominus componere noluerit, cum duplum aut triplum dampni fecerit, quam quod eundem seruum valere constiterit, ipsum seruum pro facto tradere non moretur.



## III. ANTIQVA.

*Si dum iter agitur, ignis longius dilabatur.*

**Q**ui in itinere constitutus cuiuscunque forsitan campo applicauerit, & ad coquendum cibum aut frigoris necessitate compulsus ignem fecerit, cautus sit ne ignis longius dilabatur. Aut si in spinis siue in pabulis siccis, in quibus plerunque flamma nutritur, incendium conualescat, ignem cum crescit extinguat. Quod si se longius flamma extenderit, & messis aut area vel vinea aut domus siue pomarium incendio concremetur, tantum quantum flamma consumpsit reddere vel componere compellatur: quia ignem, quem fecerat, neglexit extingueri.

## IIII. TITVLVS.

## DE DAMNIS ARBORVM, HORTORVM VEL FRUGVM QUARVMCUNQUE.

- I. *De compositione arborum incisarum.*
- II. *Si hortum quis vastauerit alienum.*
- III. *Si de incisa arboris ruina debilitatio vel homicidium perpetretur.*
- IV. *Si arbor ex parte incisa siue combusta dampna concutiat.*
- V. *De vinea incisa vel euulsa siue concremata, atq; de frugibus usurpatis.*
- VI. *Si sepes incidatur vel incendatur.*
- VII. *Si pali de sepibus incidantur.*
- VIII. *Si in aliena silua quis cum vehiculo capiatur.*
- VIII. *Si loca fructifera vel pascuosa nimia angustia coartentur.*
- X. *De animalibus voluntarie in messem vel in vineam missis.*
- XI. *Si cuiuslibet animalia frugibus dampna incutiant.*
- XII. *Si pratum defensum a pecoribus naufragetur.*
- XIII. *Si fructifera loca ab animalibus fuerint dissipata.*
- XIIII. *Si expellentibus de frugibus pecora quisquam excutiat, vel de clusura furto aut volentia tollat.*
- XV. *De animalibus in vinea, messe vel prato prauentis.*
- XVI. *Si priusquam expellantur animalia, de frugibus exierint.*
- XVII. *Si in frugibus animalia prauenta quacunq; aliquis detruncatione turpauerit.*

## I. ANTIQVA.

*De compositione arborum incisarum.*

**S**i quis inciscio domino alienam arborem inciderit: si pomifera est, det solidos iij. si oliua, det solidos v. si glandifera maior est, det solidos ij. si minor est, det solidum vnum. Si vero alterius sunt generis & maiores atque prolixiores, binos solidos reddat, quia licet non habeant fructum, ad multa tamen commoda vtilitatis preparant usum. Et hæc quidem compositio erit si tantundem abscise fuerint, nam si præsumptiuè inciscæ alicubi ferantur: aut similes arborescum illis inciscis dabuntur, aut prædictum precium duplo soluetur.

## II. ANTIQVA.

*Si hortum quis vastauerit alienum.*

**S**i quis alienum hortum vastauerit, statim iuxta damni æstimationem à iudice coactus domino horti cogatur exsoluere. Ita vt si seruus hoc fecerit super compositionem ipsius damni, l. flagella extensus accipiat.

## III. ANTIQVA.

*Si de incisa arboris ruina debilitatio vel homicidium perpetretur.*

**S**i quis arborem inciderit vel aliquid dampni fecerit, aut si dum cadat arborem aliquem occiderit, dampnum qui incidit persoluat. Quod si in circuitu arboris homines fuerint, priusquam cadat arborem ammonent. Et si de ramis arboris corruentis, postea quam commonuerit aliquis debilitatus aut mortuus fuerit, nullam ille qui arborem incidit, calumniam pertimescat. Certè si aut debilem, aut dormientem, aut senem, aut qui sibi cauere non potuit, aut pecudem fortasse ruina huius arboris debilitauerit vel occiderit, pro quadrupede vno, domino alium eiusdem meriti mox reformet, & pro occiso homine tanquam homicida teneatur. Pro debilitato vero iuxta formam legum satisfacere compellatur. Et si aliquis alienam arborem inciderit per violentiam,

componere non moretur. Quod si dominus arboris incisorem fuerit contestatus, & postea incisor fuerit dum incidit occisus, mors eius nullatenus requiratur.

## III. ANTIQVA.

*Si arbor ex parte incisa siue combusta damna concutiat.*

SI arbor ex parte incisa sit aut ex aliqua parte igne combusta, & illo qui incidere vel incendere cœperat absente arbor ceciderit, nulla ei pro damno, quod per ruinam arboris factum est, calumnia moueatur.

## V. ANTIQVA. NOVITERQUE EMENDATA.

*De vinea incisa vel euulsa siue concremata, atque de frugibus usurpatis.*

VI  
10 **Q**VI vineam inciderit, eradicauerit, vel incenderit alienam, aut in desertum produxit, duas æqualis meriti vineas, domino eius vineæ reformare cogatur, & præterea dominus vineæ illius desertæ hanc ad usum suum reuocare non dubitet. Si vero per violentiam fruges collegerit, & frugem in duplo restituat, & quidquid euerit, redintegrare procuret, ita tamen, ut cum sacramento colligentium per tempus vindemiarum duplum ipsius frugis compositionem restituat. Serui vero sine dominorum iussu talia facientes per singulas vites decena flagella extensi accipiant, & fruges domino restituant: aut si dominus componere noluerit, per sex vites solidum reddant. Quod si maioris damnum creuerit, & dominus componere noluerit, seruum tradere festinabit.

## VI ANTIQVA.

*Si sepes incidatur vel incendatur.*

20 **S**I quis per aliquod spatium sepes incenderit vel inciderit alienas, si maioris loci persona est, sepes reparet, & pro damno satisfaciat. Si quid tamen damni domino de fructibus accidisse cognoscitur, & damnum soluat sicut inspectio habuerit æstimantium, & præterea decem solidos reddat. Sed & de eodem campo qui fructus habet vel habuit, & de prato siue de concluso v. solidos compellatur exsoluere. De eo vero campo, in quo nulli fructus sepibus claudebantur, sepem tantummodo reformare cogatur. Si vero hoc persona inferior fecerit, soluat damnum de æstimatis fructibus, ac sepem  
30 reparet, & l. flagella publice suscipiat. Quod si seruus hoc domino nesciente fecerit, & damnum soluat & sepem reparet, & c. flagella suscipiat. Quod si de casu factum fuerit, sepem tantummodo reformet quæ collisa est. Quia crimen videri non potest, quod non est ex voluntate commissum.

## VII. ANTIQVA.

*Si pali de sepibus incidantur.*

**Q**VI de sepibus palos inciderit vel incenderit alienis, cum campus ille fructus vellos  
40 aliqui de his sepibus claudebantur, per singulos palos singulos tremisses compellatur exsoluere: ita ut ex fructibus si aliquid perierit, ex integro reformetur. Eadem & de hortis sepe conclusis præcipimus custodiri.

## VIII. ANTIQVA.

*Si in aliena silua quis cum vehiculo capiatur.*

**S**I quis aliquem comprehenderit, dum de silua sua cum vehiculo vadit, & circulos ad cupas aut quæcunque ligna sine domini iussione aut permissione asportare præsumperit, & boues & vehiculum alienæ silvæ præsumptor amittat, & quæ dominus silvæ cum fure aut violento comprehenderit, indubitanter optineat.

## VIII. ANTIQVA.

*Si loca fructifera vel pascuosa nimia angustia coarcentur.*

10 **S**I quis cum frugibus vineam, pratum vel pascua habere cognoscitur, & fossas per circuitum pro solo terrore constituat, ut non nisi per vineam aut messem transitus esse possit, dampnum, quod viator intulerit, ad viatoris culpam redundare non conuenit. Campos autem vacantes si quis fossis cinxerit, iter agentes non hæc signa deterreant, nec aliquis eos de his pascuis præsumat expellere.

## X. ANTIQVA.

*De animalibus voluntarie in messem vel vineam missis.*

**Q**VI iumenta vel boues aut quæcunque pecora voluntarie in vineam vel messem immiserit alienam, dampnum quod fuerit æstimatum cogatur exsoluere: & si maior



persona est, pro caballis aut bubus per singula capita singulos solidos reddat: per minora vero capita singulos tremisses ei cui dampnum factum est compellatur exsoluere. Certe si inferior est forte persona, & dampnum ex integro reddat, & compositionem ex medietate restituat, atq; quadraginta flagella publice extensus accipiat: Si vero seruus hoc sine iussu domini fecerit, omne dampnum aut ipse aut eius dominus reddat, & ipse seruus sexaginta flagella suscipiat.

## VI. ANTIQVA.

*Si cuiuslibet animalia in frugibus dampna concutiant.*

**S**i cuiuslibet qualiacunque animalia vineam vel messem euerterint alienam, ille cuius animalia dampnum intulerint, tantum vineæ vel agri cum frugibus eius meriti domino de suo restituere non moretur, quantum exterminatum esse cognoscitur. Ita vt collectis frugibus ille recipiat, qui dedisse videtur. Quod si non habuerit agrum aut vineam vnde componat, tantum de frugibus reddat, quantum in æquali parte agri vel vineæ fuerit æstimatum.

## XII. ANTIQVA.

*Si pratum defensum à pecoribus naufragetur.*

**Q**ui in pratum eo tempore quo defenditur, pecora miserit, vt postmodum ad secandum non possit herba succrescere: si seruus est, qui hoc fecerit, xl. ictus flagellorum accipiat, & fœnum reddatur domino eius quantum fuerit æstimatum. Si liber & inferioris loci persona est, pro duobus capitibus tremissem vnum reddat, fœnum nihilominus iuxta æstimationem ei qui dampnum pertulit redditurus. Si vero maior persona est, pro duobus capitibus solidum vnum reddat, & fœnum habita æstimatione restituat.

## XIII. ANTIQVA.

*Si fructifera loca ab animalibus fuerint dissipata.*

**S**i quis caballum aut pecus alienum, in vinea, messe, prato, vel horto inuenerit, non expellat iratus, ne dum de dampno expellit evertat: sed ad domum suam inclusurus adducat, & dominum caballorum vel pecorum faciat certiore, vt presentibus his aut vicinis eorum dampnum quod illatum fuerit æstimetur, & ad campum utrique partes conueniant, vt postquam dampnum inspexerint, pars campi vel vineæ siue prati vel messis quæ defracta fuerat mensuretur, & donec fructus colligantur, expectetur vt tantumdem de impasto loco ei, cui dampnum intulerit, facta spatii ex æquatione tradatur presentibus testibus: & de eo loco qui euersus est, & de eo qui est integer, fructus colligantur: & quidquid minus in his locis quæ à pecoribus euersa fuerint repperitur, ille cuius pecora fuerint, reformare cogatur. Pecora vero, postquam ipsorum locorum spatia mensurauerint, sicut est in legibus constitutum, domino reformentur. Et si pecora, dum per iracundiam immoderationis expellit, evertit, domino pecorum dampnum simpliciter tantummodo satisfactione restituat, & sibi quæ debilitauit aut occidit vsurpet, si tamen vt quæ evertit ante persoluat. Quod si pecora per casum non culpa dum expelluntur debilitentur, aut pereant, aut in sudes siue in palos dum expelluntur inciderint, dampnum soluatur ex medio. & quæ superioribus legibus sunt statuta permaneant.

## XIII. ANTIQVA.

*Si expellenti de frugibus pecora quisquam excutiat, vel de clusura furto aut violentia tollat.*

**S**i quis expellenti de frugibus pecora excusserit: si honestior est forte persona, det solidos v. & duplum dampnum quod fuerit æstimatum cogatur exsoluere. Si certe humilioris loci persona fuerit, & non habuerit vnde componat l. flagella suscipiat, & duplum dampnum exsoluere compellatur. Si vero seruus hoc fecerit, ante iudicem centum ictus accipiat flagellorum, & domino eius nulla calumpnia moueatur. Quod si de domo eius aut clusa inuolauerit, aut per violentiam tulerit, octo solidos qui iniuriam pertulit consequatur, & præterea duplum dampnum ille qui abstulit reddere compellatur. Si vero seruus hoc fecerit, c. flagella suscipiat, & dominus eius nil dampni sustineat.

## XV. ANTIQVA.

*De animalibus in vinea, messe vel prato præuentis.*

**S**i quis in vinea sua, messe, prato vel horto iumenta, vel pecora inuenerit aut præuen-

dide-

diderit, statim domino pecudum ipsa aut altera die nunciaturus includat. Quod si dominus pecorum mittere vel venire noluerit, dampnum a vicinis quod factum est æstimationem, & ad satisfactionem ille cuius pecora fuerint iudicis exsequutione venire cogatur, & dampnum exsoluat. Si tamen probauerit aut certe iurauerit ille qui prendidit dampnum ipsum ab ipsis animalibus factum fuisse, ille vero cuius pecora sunt si ad æstimationem dampni aut pecora recipienda non venerit, adæquentur tantummodo ac poterit, qui ad æstimationem venire neglexit. Post triduum autem animalia dimittantur, & dimissis animalibus si dominus eorum venire contempserit, pro contemptu ipso, quia inspicere noluit, iuxta æstimationem testium in duplum cogatur exsoluere. Quod si ille cuius pecora sunt ad eum cui dampnum factum est venerit, rogans eum ut ad æstimationem dampni accedat ut pecora relaxentur, & ille non adquiescat volens pecora interficere: si hoc ita fecisse conuincitur, per singula capita maiora singulos solidos reddat, per minora singulos tremisses. Similiter hæc lex continet & de illis qui ante triduum pecora clausa non publicauerint. Si autem seruus hoc fecerit sine domini voluntate, s. flagella suscipiat, & dominus eius nihil dampni sustineat.

## XVI.

*Si priusquam expellantur animalia de frugibus exierint.*

Si iumenta vel pecora de frugibus priusquam expellantur exierint, ea non licet comprehendere, quia utrum ipsa dampnum fecerint nescitur. Nam si ea ipse cuius sunt aut quicumque vicinus expulerit, dominus iumentorum vel pecorum æstimationem dampni implere cogatur.

## XVII. ANTIQVA.

*Si in frugibus suis animalia præuenta quacunquæ aliquis detruncatione turpauerit.*

Si labia pecoribus aut cæteris animalibus vel aures quæ in frugibus suis comprehenderit, inciderit; illa quæ deformauit optineat, & domino pecorum alia sana & similia restituere non moretur.

## III. TITVLVS.

## DE DAMPNIS ANIMALIVM VEL DIVERSARUM RERUM.

- I. Si caballus vel animal alienum, aut de ligamine tollatur, aut extra voluntatem domini in aliquo fatigetur.
- II. Si præstitum animal contra definitionem & voluntatem domini fatigetur.
- III. Si caballi aut cuiuscunque animalis coma vel cauda turpetur.
- IV. Si alienum animal testiculis defecetur.
- V. Si iumenti partus excutiatur.
- VI. Si cuiuscunque animalis partus excutiatur.
- VII. Si qualiacunque animalia ab inuicem euertantur.
- VIII. Si dampno vel iniuria impellente, aut sine dampno alienum animal occidatur.
- IX. Si bos alienus sine domini voluntate operibus subiugetur.
- X. Si qualiacunque animalia trituris areæ fatigentur.
- XI. Si pecus absque damno in clusuram mittatur.
- XII. Si animal cuiuscunque faciat quodcunque dampnosum.
- XIII. Si quodcunque animal quacunquæ percussione debilitetur aut occidatur.
- XIV. Si pecus alienum sciente aut ignorante domino gregi alterius misceatur.
- XV. Si animali quodcunque pavidum inligetur, per quod ruptum aut debilitetur aut moriatur.
- XVI. Si vitiosum animal, cum apud dominum est, cuiuscunque hominem videatur atatis occidisse.
- XVII. Si animal vitiosum quis à se abiiciat vel non abiectum retineat.
- XVIII. Si habendum culpa si irritatum animal noceat irritantem: si iuste aut iniuste concitatus canis quempiam debilitasse vel occidisse probetur.
- XVIII. De cane dampnoso.
- XX. De lesione vestis.



- XXI. *Si fraudulenter quis ambulans, in laqueos feris preparados incidat.*  
 XXII. *Vt qui laqueos feris ponit, & loca discernat in quibus ponat, & vicinos ammoneat.*  
 XXIII. *De dampnis iter publicum concludentium.*  
 XXIV. *De reseruando spatio iuxta vias publicas.*  
 XXV. *Si de campis vacantibus iter agentium animalia expellantur.*  
 XXVI. *Ne iter agentibus pascua non clusa vetentur.*  
 XXVII. *Vt qui in transitu fluminis cultiuam facit, laborem sepe circumdet.*  
 XXVIII. *De discretionem concludendorum fluminum.*  
 XXIX. *De confringentibus molina, & conclusiones aquarum.*  
 XXX. *De furantibus aquas ex discursibus alienis.*

## I. ANTIQVA.

*Si caballus vel animal alienum, aut de ligamine tollatur, aut extra voluntatem domini in alieno fatigetur.*



**S**I quis caballum alienum vel aliud animal de pedica siue de ligamine tulerit sine conscientia domini sui, vnum solidum ei det: & si per hanc occasionem perierit, eiusdem meriti caballum vel animal restituat. Quod si cum aliquo ambulare coegerit vel laborare fecerit domino nesciente, alium æqualis meriti cum eo dare cogatur, si tamen ipsa aut altera die cum dominus suus inuenerit. Quod si tertia die animal inuentum non fuerit, ille qui animal alienum præsumpserit pro fure teneatur.

## II. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si præstitum animal contra defensionem & voluntatem domini fatigetur.*

**Q**VICUNQUE citra voluntatem eius qui præstitit animal supra definitionem cursu, oneribus vel itinere fatigauerit, per decem millia det solidum vnum. Quod si minus quam decem millia fuerint, æstimate itinere pro labore æstimetur & compositio dampni. Nam si debilitatus & mortuus fuerit, debilem sibi habeat & similem reddat. Pro mortuo vero viuum talem sine excusatione restituat.

## III. ANTIQVA.

*Si caballi aut cuiuscunque animalis coma vel cauda turpetur.*

**S**I quis alieni caballi comam turpauerit aut caudam curtauerit, eiusdem meriti alium cum eo sine dilatione domino restituat. Si vero alterum qualecunque animal curtauerit, per singula capita singulos trientes reddere compellatur.

## IV. ANTIQVA.

*Si alienum animal testiculis defecerit.*

**Q**VI alienum animal, aut quemcunque quadrupedem, qui ad stadium fortasse seruatur, inuito domino vel nesciente castrauerit: vel bouem vel quæ non secantur castrauerit, domino in duplum cogatur exsoluere: quia propter inuidiam hoc videtur intulisse dispendium.

## V. ANTIQVA.

*Si cuiuscunque animalis partus excutiatur.*

**S**I quis quocunque pacto partum equæ prægnantis excusserit, pullertum anniculum cuius fuerit mox reformet.

## VI. ANTIQVA.

*Si cuiuscunque animalis partus excutiatur.*

**S**I quis vaccam prægnantem auortare fecerit alienam, talem aliam cum vitulo domino reformare cogatur, & illam cui patrum excusserit, ipse accipiat: hæc de aliis quadrupedibus forma seruetur.

## VII. ANTIQVA.

*Si qualiacunque animalia ab inuicem euertantur.*

**S**I cuiuslibet iumenta vel armenta aut alia pecora se inuicem forte colliserint vel occiderint, dominus iumentum vel aliorum animalium eiusdem meriti domino reddat & illud

& illud debilitatum siue occisum sibi optineat.

## VIII. ANTIQVA.

*Si dampno vel iniuria impellente aut sine dampno alienum animal occidatur.*

SI quis alienum animal occidisse aut vulnerasse conuincitur non dampno qualicunque compulsus, alium eiusdem meriti reformare cogatur. Et si seruus est l. flagella suscipiat. Ingenuus vero quinque solidos det. Nam si eundem dampni commouit iniuria ut eum occideret aut debilitaret, precium pecudis aut animalis reddatur occisi vel debilitati & nihil patiat in iuriis.

## IX. ANTIQVA.

*Si bos alienus sine domini voluntate operibus subiugetur.*

SI quis bouem alienum iunxerit sine conscientia domini sui ad aliquid carricandum siue pro voluntate sua retinendum, eiusdem meriti cum eo alium domino reddat.

## X. ANTIQVA.

*Si qualiacunque animalia aliena trituris aree fatigentur.*

SI quis caballum aut aliud quodcunque animal alienum in aream miserit, per singula capita singulos solidos reddat: & si per hanc occasionem animal mortuum fuerit, & solidum reddat, & eiusdem meriti animal domino cogatur exsoluere.

## XI. ANTIQVA.

*Si pecus absque dampno in clusuram mittatur.*

VI absque aliquo dampno inclusum pecus detinuerit alienum, si seruus hoc nesciente domino fecerit, tantummodo quadraginta ictus accipiat flagellorum. Si ingenuus fuerit per duo capita tremissem vnum, ei cuius pecus inclusum est cogatur exsoluere. Quod si ex ipsis pecoribus aliquid debilitatum aut mortuum fuerit, iuxta superiorem legem compositio fiat.

## XII. ANTIQVA.

*Si animal cuiusque faciat quodcunque dampnosum.*

SI cuiuscunque quadrupes aliquid fecerit fortasse dampnosum, in domini potestate consistat, utrum quadrupedem noxium tradat, an ei qui dampnum pertulit & aliquid excepit aduersi iuxta iudicis aestimationem componat.

## XIII. ANTIQVA.

*Si quodcunque animal quacunque percussione debilitetur aut occidatur.*

SI quis alienum iumentum percusserit, ita ut debile efficiatur, aut de ipsa fortasse percussione mortuum fuerit, ille qui percussit, alium eiusdem meriti domino reformare cogatur, & illud debile suae vendicet potestati. Quod si iumentum non habuerit, pretium iuxta aestimationem domino iumentum restituat. Et similis ordo tam de caballo quam de boue & reliquis animalibus ab omnibus obseruetur.

## XIII. ANTIQVA.

*Si pecus alienum sciente aut ignorante domino gregi alterius misceatur.*

SI cuiuslibet pecora cum alicuius se miscuerint, & hoc ipse perspexerit, & sic de ipsius grege abierint, ut nullam ex hoc conscientiam habeat: dominus pecorum sacramenta ab eodem accipiat, quod non ipsius fraude vel culpa exinde abscefferint, & nec sibi ea prae-sumpsit nec alicui tradidit: & nihil cogatur exsoluere. Quod si ad domum suam adduxerit, & iudicem non monuerit vel in conuentu publice infra octauum diem non contestauerit, in duplum satisfaciatur.

## XV.

*Si animal quodcunque pavidum inligetur per quod ruptum aut debilitetur aut moriatur.*

SI quis caput mortui pecoris aut ossa vel aliquid unde animal terreatur, ad caudam caballi crediderit alligandum, & per hoc currendo ruptus probetur aut mortuus, alium sanum caballum domino reformare non moretur, quia legum statuta transcendit. Quod si caballus nihil debilitatis incurrerit, quinquaginta ictus accipiat flagellorum. Si seruus hoc fecerit, e verberibus addicatur.



*Si vitiosum animal, cum apud dominum est, cuiuscunque hominem videatur  
etatis occidisse.*

**S**I quis bouem aut taurum vel quemcunque quadrupedem noxium habuerit aut vitiosum, eum, antequam noceat alicui, non moretur occidere. Quod si de vitio quadrupedis ex vicinorum contestatione cognouerit, & postea eum reseruauerit aut pauerit vel distulerit occidere, ac postea alicui mortem aut debilitationem siue vulnus intulerit, iuxta hanc legem componere non moretur, sicut est de homicidiis: id est viris ac mulieribus, infantibus, seruis vel ancillis, compositio constituta. Ita vt si iugulauerit aliquem, ipse quadrupes in annis xx. ccc. solidi componantur: & ab hoc vsque ad eum qui annos l. habuerit, vnam compositionem iubemus stare. A quinquaginta autem annis, vsq; ad illum qui habet sexaginta quinque, cc. solidi componantur. Qui vero super hoc habuerit, c. solidi componantur. Qui quindecim annos habuerit, cl. solidi componantur. Si in quatuordecim annis fuerit, †clx. solidi componantur. Si in tredecim, cxxx. solidi dentur. Si in xii. cxx. solidi componantur. Si in vndecim, cx. solidos det. Si in decem, c. Si vero nouem aut octo annorū fuerit vel septem, nonaginta solidi componantur. Si sex aut quinq; aut quatuor annorū fuerit, octaginta solidi componantur. Si certè trium aut duorum annorū, septuaginta solidos † det. Nam si vnus anni fuerit, sexaginta solidi componantur. Et si filiam alicuius aut vxorem iugulauerit, à decimo quinto anno vsque ad quadragesimum, ccl. solidi componantur: & à quadragesimo vsque ad sexagesimum, ducenti solidi componantur. Quod si superior annorum numerus fuerit, c. solidi componantur. A quinto decimo vero anno aut inferius, sicut & de pueris est constitutum, medietatem compositionis eius, secundum ætatis vel sexus ordinem reddere compellatur. Pro libertis autem medietas huius compositionis, sicut superius est comprehensum, pro eo qui occisus est in satisfactione dabitur. Si autem seruum alicuius occiderit, duos eiusdem meriti seruos dominus eius qui occisus est in satisfactione recipiat.

## XVII. ANTIQVA.

*Si animal vitiosum quis à se abiiciat, vel non abiectum detineat.*

**S**I quis bouem aut aliud animal nocuum vel vitiosum habuerit, eum occidere nō moretur vel à se proicere: ita vt vicinis omnibus notum faciat, quia eum à se proiecit. Quod si eum non occiderit sed reseruauerit, quicquid dampni postea admiserit ille componat, qui eum apud se reseruasse cognoscitur.

## XVIII. ANTIQVA.

*Sua habendum culpa si irritatum animal noceat irritantem.*

**S**I quis vitiosum bouem aut canem vel aliud animal contra se irritatum concitauerit, quicquid passus passus fuerit, culpæ eius qui hoc pertulerit, oportet adscribi.

## XIX. ANTIQVA.

*Si iuste aut iniuste concitatus canis quempiam debilitasse vel occidisse probetur.*

**S**I aliquem canis momorderit alicuius & de morfu illius aliquis debilitatus probetur, aut mortuus, domino canis nil calumpniæ moueatur: si tamen eum canem vt morderet non irritasse cognoscitur. Quod si canem suum vt furem aut quemcunque criminofum comprehenderet irritauit, & ita momorderit fugientem, si de morfu illius fuerit debilitatus aut mortuus, nihil ex eo causationis existat. Nam si eum ad innocētem forsitan irritatum incitauerit, tanquam si ipse vulnus intulerit, iuxta leges componere non moretur.

## XX. ANTIQVA.

*De cane dampnoso.*

**S**I cuiuslibet canis dampnosus fuerit, & deuastet berbices, & alia pecora forte euertere cœperit, & deprehensus fuerit: ipse dominus canis, vbi ex hoc fuerit commonitus, eum illi tradat cui dampnum primitus constat fuisse inlatum, vt eum occidat. Quod si eum occidere noluerit vel illi tradere cui dampnum primitus fecit: quicquid postmodum canis dampni admiserit, dominus canis duplam compositionem reddere non moretur.

XXI. FLS. RCDS. REX.

*De lesione vestis.*

SI quis qualibet occasione vestem absciderit vel ruperit alienam, atque sordibus maculauerit, & talis macula in veste patuerit, vt extra sceditatem minimè tolli possit; pro facti crimine obnoxius teneatur, ita vt similem vestem integram restituat. Quod si talem vestem nō habuerit, huius vestis pretium, quantum integra illa quæ rupta vel scissa atque maculata est, valere potuit, tradere compellatur: vestem verò ruptam vel quæ maculata est ille accipiat, qui hanc compositionem exsoluerit. Si verò seruus hoc fecerit, & dominus pro eo componere noluerit, seruum pro qualitate criminis tradere non moretur.

XXII. ANTIQVA.

*Si fraudulenter quis ambulans in laqueos feris præparatos incidat.*

SI quis fudes in vinea posuerit, siue in campo propter feras, & ibi aliquis dum furtum facere tentat, incidat, culpæ eius oportet adscribi, qui vulnus excepit, quod in rem alienam fraudulenter ingressus est.

XXIII. ANTIQVA.

*Vt qui laqueos feris ponit, & loca discernat in quibus ponat, & vitinos ammoneat.*

SI quis in terris suis foueas fecerit, vt feras in eisdem foueis comprehendat, aut laqueos vel arcus prætenderit, seu balistas in locis secretis vel desertis, vbi nulla via est, quæ consueuerit frequentari, nec vbi pecudum possit esse accessus: si alicuius animal, per hanc occasionem quæ ad feras paratur, extingatur aut occidatur, pecus quod perit incautus venator exsoluat, quia quadrupes sibi ea cauere non potuit. Omnes vero proximos & vicinos venator ante commoneat: & si post commonitionem quisquam in hæc incautus irruerit, nihil ex hoc calumpniæ venatori oportet opponi: quia se ille periculo, qui commonitionem audire neglexit, obiecit. Si quis vero de locis longinquiorebus veniens, qui nō fuerat ante communitus, ignorans incidat, & fuerit debilitatus aut mortuus; hic qui feris insidias vel laqueos præparauit, tertiam partem compositionis exsoluat, quæ fuerat hæcenus debilitatis hominibus vel occisis in legibus comprehensa. quia in itinere hominibus hoc periculum nescientibus apparare non debuit.

XXIII. ANTIQVA.

*De dampnis iter publicum concludentium.*

SI iter publicum clausum aut constrictum sit, rumpenti sepem aut vallum nulla calumnia moueatur. Ille vero qui viam clauserat vel constrinxerat, quæ consueuerat frequentari, si seruus est à iudice perducatur ad sepem, & c. flagella suscipiat, & per distractionem iudicis priorem viam aperire cogatur, etiam si messis ibidem esse videatur. Si vero id fuerit à potentiore commissum, exigantur ei solidi xx. Reliquæ autem personæ talia committentes decenos solidos exsoluere compellantur, ita vt omnis huius rei compositio fici & viribus inferatur.

XXV. ANTIQVA.

*De seruando spatio iuxta vias publicas.*

VIam per quã ad ciuitatem aut ad prouincias nostras ire cōsueuimus nullus præcepti nostri temerator existat vt eam excludat vel adstringat: sed vtrinque mediatas arripennis libera reseruetur, vt itinerantibus applicandi spatium non vetetur. Si quis autem huiusmodi legis præcepta transcenderit, si maior persona est det solidos quindecim: inferiores vero personæ octonos solidos soluant fisco profuturos. Qui certè iuxta huiusmodi viam messem aut vineam vel pratium siue conclusum habere cognoscitur, sepe vtrinque concludat. Quod si propter paupertatis angustiam campum sepibus non possit ambire, fossatum protendere non moretur.

XXVI. ANTIQVA.

*Si de campis vacantibus iter agentium animalia expellantur.*

SI aliquis de apertorum & vacantium camporum pascuis, licet eos quisq; fossis præcinxerit, caballos aut boues vel cætera animalia generis cuiuscunque iter agentium



ad domum suam inclusurus adduxerit, per duo capita tremissem cogatur exsoluere. Si vero ut non pascantur expulerit, per quatuor capita tremissem accipiat, qui excepit iniuriam. Quod si hæc & quæ superius dicta sunt, seruus nesciente domino commiserit, à comite ciuitatis vel à iudice c. flagellorum ictibus verberetur, & dominus serui nullum

\* calumpniæ. † dampnum aut detrimentum sustineat.

## XXVII. ANTIQVA.

*Ne iter agentibus pascua non conclusa vetentur.*

**I**ter agentes in pascuis quæ conclusa non sunt deponere sarcinam, & iumenta vel boues pascere non vetentur: ita ut non in vno loco plusquam biduo nisi hoc ab eo cuius pascua sunt optinuerint, commorentur. Nec arbores maiores vel glandiferas, nisi præstitit filuz dominus, à radice succidant. Ramos autem ad pascendos boues non prohibeatur competenter incidere.

## XXVIII. ANTIQVA.

*Ut qui in transitu fluminis culturam facit, laborem sepe circumdet.*

**Q**ui in eo loco ubi transitus fluminis est culturam fecerit vel præruptum ripæ, aut ubi pecora transeunt potuerit excludere, & fecerit fortasse culturas, sepem etiam facere non moretur. Quod si non fecerit, & aliquid dampni fuerit per hanc negligentiam suæ inutilitatem perpeffus, nihil compositionis ab aliquo accipiat: quia negligentiam illius ad dampnum alterius redundare non conuenit.

## XXVIII.

*De discretione concludendorum fluminum.*

**F**lumina maiora, id est per quæ mesoces aut alii pisces maritimi subriguntur, vel forsitan retia aut quæcunque commercia veniunt nauium, nullus ad integrum contra multorum commune commodum suæ tantummodo vtilitati consulturus excludat, sed vsque ad medium alueum, ubi maximus ipsius fluminis concursus est, sepem ducere non veterur, ut alia medietas diuersorum vsibus libera relinquatur. Si quis contra hoc fecerit, exclusa ipsius à comite ciuitatis aut iudice sine aliqua excusatione rumpatur: & si honestioris loci persona est, x. solidos det illis quos impedire conatus est. Si vero inferior persona fuerit, quinq; solidos det & l. flagella suscipiat. Quod si ab vtraq; parte huius fluminis duo manserint, non liceat integrum flumen excludere, ut dicat vnusquisque eorum quod medietatem suæ partis excluserit: sed alter superius alter inferius clusuram facere ex medietate fluminis non prohibeatur. Si vero locus non fuerit nisi tantummodo in vno transitu, sic excludatur, ut & naues & retia per mediū discurrere possint. Quod si comes ciuitatis aut aliquis cuiuscunque clusuram contra hanc ordinationem nostram euertere præsumperit, v. solidos domino clusuræ dare debeat. Certe si minor persona hoc fecerit, quinque solidos clusuræ domino cogatur exsoluere, & † v. flagella à iudice eius loci accipiat. Si seruus hoc fecerit, c. verberibus subiacebit.

## XXX.

*De contrahentibus molina, & conclusiones aquarum.*

**S**i quis molina violenter effregerit, quod fregit infra † xxx. dies reparare cogatur, & si super triginta solidos cogatur exsoluere. Quod si infra statutum tempus non reparauerit, alios \* xxx. solidos implere cogatur, & centum in super flagella suscipiat. Eadem & de stagnis, quæ sunt circa molina conclusiones aquarum, præcepimus custodiri. Quod si seruus talia præsumperit, & disrupta reparat, & centum verberibus subiacebit.

## XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

*De furantibus aquas ex discursibus alienis.*

**M**ltarum terrarum situs si aquis indiget pluuiis, foueri aquis studetur irriguis: cuius rei iam experimentum tenetur, ut si defecerit aquarum solitus vsus, desperetur confusus ex fruge prouentus. Proinde ubi maiores aquæ sunt, si qui furtiue aut malitiose aquam ex decursibus substraxerit alienis, per quatuor horarum spatium det solidum vnū. Vbi autem † minorū sunt deriuationes aquarū, per quatuor horas exsoluat tremissem vnum. Aqua vero quantis horis alibi dilapsa conuincetur, tantis ad irrigandum

† minores.

dam comperenti tempore domino reformetur. Seruus si sua sponte ista præsumpserit, pro maioribus aquis c. flagella suscipiat, pro minoribus verò l. verberum cessione-  
bus succumbat.

## V. TITVLVS.

## DE PASCENDIS ET ANIMALIBVS DENUNTIANDIS ALIENIS.

- I. De porcis in glandem præsumptiue aut placito missis.
- II. De porcis inter consortes ad glandem in communi fructu susceptis.
- III. Si porci ad pastum in glande suscepta ante datas decimas furto lenentur.
- IV. De porcis errantibus in silua præuentis.
- V. Si quorumcunque animalium grex in pascua intrauerit aliena.
- VI. Vt pro inuentis animalibus erroneis publice denuntietur.
- VII. Vt errantia animalia occupata qui inuenerit, diligenter habeat & conseruet.
- VIII. Ne animalia errantia occupata, aut tondentur, aut caractere notentur, vel in alienum ius deducantur.

## De porcis in glandem præsumptiue aut placito missis.

**Q**VI porcos in silua sua tempore glandis inuenerit, primum custodiæ aliquid velut pigneris tollat indicium, & domino pastoris vel parentibus mander, vt si conuenerit vsque ad tempus decimarum porcos in silua sua permittat, & pignus quod pastori tulerit reformare procuret. Quod si noluerit porcos illius in silua sua intromittere decumandos, & ille eos alia vice in sua silua inuenerit, etiam si porci pauci fuerint, vnum exinde qui siluam suam defendit occidat. Si autem plures porci fuerint, duos tollat & præsumat occidere, & nullam calumpniam pertimescat. Et nihilominus tertia vice eum cuius porcos inuenit admoneat, vt porcos suos in siluam suam si voluerit introducat, & decimam iuxta consuetudinem soluat. Quod si nec tunc voluerit de dandis decimis definire, & ille eos tertia vice in silua sua qui introduxit inuenerit, decimam ex omnibus pro suo iure præsumat. Si vero aliquis sub pactione decimarum porcos in siluam suam intromittat alienam, & vsq; ad brumas porci in silua alterius pauerint, decimas sine vlla contradictione persoluat. Nam si post brumæ tempus porcos suos in silua quam conduxerat noluerit retinere, vicesimum caput sicut est consuetudo domino siluæ cogatur exsoluere.

## II.

## De porcis inter consortes ad glandem in communi fructu susceptis.

**S**I inter consortes de glandibus fuerit orta contentio, pro eo quod vnus ab alio plures porcos habeat: tunc qui minus habuerit, liceat ei secundum quod terram diuidet, porcos ad glandem portione sua suscipere, dummodo æqualis numerus ab vtraq; parte ponatur. Et postmodum decimas diuidant, sicut & terras diuiserunt.

## III.

## Si porci ad pastum in glande suscepti, ante datas decimas furto lenentur.

**S**I quis ad glandem sub placito decimarum porcos in siluam intromittat alienam, & eos occultè priusquam decimentur amouerit, pro fure teneatur, & decimam abiecta furti compositione restituat. Si verò seruus hoc domino nesciente commiserit, c. ictus accipiat flagellorum: & dominus nullum dampnum aut detrimentum sustineat, sed reddat decimas quas debet. Si autem hoc domino iubente commissum est, ipse qui iussit furti compositionem cogatur exsoluere.

## IIII.

## De porcos errantibus in silua præuentis.

**Q**VI porcos errantes in silua sua inuenerit, aut contestari vicinis debet, aut claudere. Et si dominus porcorum non affuerit, vnum porcum prima vice præsumat, & iudici qui fuerit in proximo nuntiet, apud se porcos qui vagabantur inclusos. Deinde si dominus porcorum vel pecorum non inueniatur, custodiat rauquam suos, & pro glandibus decimam consequatur: & cum dominus affuerit mercedem custodiæ, facta præsentibus iudicibus ratione, de temporis spatio percipiat.



*Si quorumcunque animalium grex in pascua intraverit aliena.*

**S**I in pascua grex alienus intraverit, siue ouium siue vaccarum, hoc quod de porcis constitutum est, precipimus custodiri. Consortes vero vel hospites nulli calumnie subiacent: quia illis usus herbarum quae conclusae non fuerant constat esse communem. Qui vero sortem suam totam forte concluderit, & aliena pascua absente domino inuadit, sine pascuario non praesumat, nisi forte dominus pascuae voluerit.

VI.

*Vt pro inuentis animalibus erroneis publice denuntietur.*

**C**Aballos vel animalia errantia liceat occupare, ita ut qui inuenit denuntiet aut episcopo aut comiti, aut iudici, aut senioribus loci aut etiam in conuentu publico vicinorum. Quod si non denuntiauerit, furis dampnum habebit. Similis & de aliis rebus ordo manebit.

VII.

*Vt errantia animalia occupata qui inuenit, diligenter habeat & conseruet.*

**Q**Uod si errantia animalia & sine custode inuenit, ita diligenter occupet ut non euerat: sed sicut proprium diligit atque custodiat. Quod si dominus qui perdidit caballum suum vel animal, non euersum sed dilectum & sanum inuenit, per singula capita maiora quaternas sibi quas, ille qui inuenit accipiat, & quantum in substantia ipsius caballi expendit iurauerit a domino caballi recipiat. Caeterum si euerit, duplum animal domino cogatur exsoluere.

VIII.

*Ne animalia errantia occupata, aut tondantur, aut caractere notentur, aut in alienum ius deducantur.*

**C**Aballum captum errantem nullus tondere aut vendere praesumat. Caballis etiam aut bobus vel aliis quibuslibet pecoribus errantibus nulli liceat caracteres infigere. Quod si quis inuentum animal vendere aut dare praesumpserit secundum leges sicut fur teneatur, qui vero tonderit, tres solidos compulsus exsoluat. Ita erit etiam ei qui caracterem infixit.

## VI. TITVLVS.

*De apibus & earum dampnis.*

\* deueni.

I. *De inuentis apibus defendendis.*II. *Si dampnum faciant apes.*III. *De furatis apibus.*

I.

† deueni.

*De inuentis apibus defendendis.*

**S**I quis apes in silua sua aut in rupibus vel in saxo aut in arboribus inuenit, faciat tres decurias, quae vocantur caracteres: unde potius non per unum caracterem fraus nascatur. Et si quis contra hoc fecerit, atque alienum signatum inuenit & irruperit, duplum restituat illi cui fraus illata est, & praeterea xx. flagella suscipiat.

II.

*Si dampnum faciant apes.*

**S**I quis apiaria in ciuitate, aut in villa forsitan construxerit, & alii dampnum intulerit, statim moneatur, ut eas in abditis locis transferre debeat, ne forte in eodem loco hominibus aut animalibus dampnum inferant. Et qui haec praecipia aut testationem neglexerit, & dampnum suffocationis in quadrupedes intulerit: quod mortuum fuerit, duplum restituat: quod vero debilitatum, ille obtineat: & simile dampno reddat, & pro iudicis contestatione quam audire neglexit, v. sol. coactus exsoluat.

III.

*De furatis apibus.*

**S**iquis ingenuus in apiario furti causa fuerit comprehensus: si nihil exinde abstulerit, propter hoc quòd ibidem comprehensus est, tres solidos soluat, & l. flagella suscipiat. Caterum si abstulerit, nouecuplum cogatur exsoluere & prædictum numerum flagellorum excipiat. Si seruus verò nihil ingrediens abstulerit, c. verberibus addicatur. quod si abstulerit, sexcuplum reddere compellatur. Pro quo si dominus satisfacere noluerit, cum seruiturum illi qui dampna percultit tradat.

## DE FUGITIVIS ET REFUGIENTIBVS, LIBER NONVS.

### I. TITVLVS.

#### DE FUGITIVIS ET OCCVLTATORIBVS FUGAQVE PRÆVENTIS.

- I. *Si ingenuus vel seruus fugitiuum celasse repperiatur.*
- II. *Si fugitiuus vinctus quocunque ligamine absoluat.*
- III. *Infra quod tempus mancipium latens inuentum iudici debeat presentari.*
- IV. *Si nesciens quis fugitiuum susceperit humanitate concessa.*
- V. *Si alienum mancipium quis persuadeat, vt fugiat vel humanitatem impendat.*
- VI. *Si ignotus homo susceptus multis diebus apud alium commoretur.*
- VII. *Si seruus fugitiuum sciens viam ostenderit fugiendi.*
- VIII. *De susceptione fugitiuorum, si dominus vel seruus suscipiat alterius fugitiuum.*
- IX. *Vt bis venditus seruus per fugam rediens in libertate permaneat.*
- X. *Vt discutiatur mancipium fugitiuum, ne propter lucrum fuerit ad domum suscipientis immissum.*
- XI. *Si ingenuum se esse mentiens seruus sub mercedis conditione apud alium commoretur.*
- XII. *Si fugitiuus in domo cuiusquam fuerit inuentus.*
- XIII. *De mercede eius qui prenderit fugitiuum.*
- XIII. *Si seruus fugiens se esse mentiatur ingenuum.*
- XV. *De his quæ seruus fugiens adquisisse videatur.*
- XVI. *De his qui peruentos seruos dominis reformare contemnunt.*
- XVII. *Si ingenuus vel seruus latrones celandos susceperint.*
- XVIII. *Vt iudex cum omnibus rebus quibus fugitiuum inuenerit domino veniente presentet.*

### I. ANTIQVA.

*Si ingenuus vel seruus fugitiuum celasse repperiatur.*



**S**iquis ingenuus fugitiuum celatum habuerit, alium paris meriti cū eodem seruo domino dare cogatur. Si verò seruus sine cōscientia domini sui fugitiuum celauerit, serui ambo publicè centena flagella suscipiant, dominus vero huius serui nihil dampni sustineat.

### II.

*Si fugitiuus vinctus quocunque ligamine absoluat.*

**S**iquis alienum seruum in fuga lapsum, ferro vinctum, aut in quocunque ligamine constitutum absoluerit: pro præsumptione sua qui hoc fecerit det domino serui solidos decem. Si verò non habuerit vnde componat, à iudice c. flagella suscipiat, & seruum requirere ac domino restituere non moretur. Quod si eum non potuerit inuenire, seruum æqualis meriti domino reddere non moretur: aut si non habuerit vnde componat, ipse subiaceat seruituti, illi cuius seruum laxauerit addicendus. Quod si hoc seruus fecerit sine domini voluntate, coram iudice centum flagella suscipiat. Et si vinctus inueniri non potuerit, seruus qui soluit tradatur in seruitio domini vincularus.



Quandocunque autem qui vinculus fuit inuentus extiterit, domino reformetur, & datus pro eo seruus ad proprium dominum reuertatur. Si autem conscio domino id fecerit, ipse dominus componat, sicut est de ingenuis superius constitutum.

## III.

*Infra quod tempus mancipium latens inuentum iudici debeat presentari.*

SI cuiuslibet seruus ad aliquem latens aduenerit, statim eum presentari iudici non differat. Quod si eum non presentauerit, & vsque ad octauam noctem apud eum moratus fuerit, aut si ad longinquiora loca transferit, duos eiusdem meriti seruos domino cogatur exsoluere. Nam si apud eum mancipium quod susceperat subcelatum inueniatur, alterum cum eo dare domino non moretur. quia intra diem legibus constitutum noluit contestari.

## IV.

*Si nesciens quis fugitiuum susceperit humanitate concessa.*

SI quis nesciens fugitiuum susceperit, & ei humanitatem dederit, & non amplius ibidem fuerit quam vna die vel nocte immoratus, domino quaerenti fugitiuum suum praebet sacramentum, se nescisse quod fugeret. Aut si certe potuerit approbare quod fugitiuum non celauerit, ab omni calumpnia liber abscedat. Si vero ibi biduo aut triduo aut quadriduo pro reparandis sumptibus vel cuiuscunque occasio nis causa praeteriens moras afferre voluerit, conuentus a domino vbi postea manserit, vel a quo humanitatem fugitiuus susceperit, cogatur ostendere: & infra sex menses aut inueniat fugitiuum, aut eos apud quos postea fuerit, ostendat. Quod si non potuerit inuenire, conscientiam suam ex hoc sacramento purgare debet, & apud quem nouissime venit: aut repraesentet qui fugit, aut paris meriti seruum domino reddat. Et si seruus postea fuerit inuentus, illum quem pro eodem dederat recipiat, & ab omni calumpnia securus abscedat.

## V. ANTIQVA.

*Si alienum mancipium quis persuadeat vt fugiat, vel humanitatem impendat.*

*deconderit.* SI quis alieno mancipio persuaserit vt fugiat, aut ei cum sciret fugitiuum humanitatem dederit, aut forte detruderit fugientem: si fugitiuum poterit inuenire, duos cum eodem paris meriti domino reformare cogatur. Si autem inuentus non fuerit fugitiuus, tres seruos eiusdem meriti domino compellatur exsoluere. Eadem quoque & de ancillis praecipimus custodiri.

## VI.

*Si ignotus homo susceptus multis diebus apud alium commoretur.*

*voluer.* SI apud quemcunque v. aut vi. dies homo ignotus aut latens moretur, ille qui eum hospitio suscepit vel humanitatem dedit, ante diem testetur octauum iudici vel vicario proximae ciuitatis aut territorii, vt secundum legem de susceptione fugitiuorum, quam nuper edidimus, idem ipse qui fugit, illius qui in loco maior est interrogatione discussus, quis sit aut propter quid venerit, possit agnosci: sicque omnis constitutio praedictae legis, de susceptione scilicet fugitiuorum, quae nuper a nostra gloria condita esse dinoscitur, in omnibus impleatur. In limitibus praeterea prouinciarum maior sollicitudo praestetur, ita vt ipsa aut altera die eius publicetur aduentus. Quod si intra hos octo dies non contestatus fuerit qui suscepit, & omnem constitutionem praememoratae legis implere neglexerit, & mancipium in domo sua moram amplius fecerit, alium talem cum eo domino restituat, quia noluit contestari. Si vero in fuga celatus euaserit, hospes requirat fugitiuum: quem si non potuerit inuenire, duos aequalis meriti domino cogatur exsoluere.

## VII. ANTIQVA.

*Si seruus fugitiuum sciens viam ostenderit fugiendi.*

SI seruus alterius fugitiuum sciens viam ostenderit, si fuerit fugitiuus inuentus, siue etiam non potuerit inueniri, seruus qui iter monstrauit, tantummodo centum flagellorum ictibus verberetur, & domino eius nulla calumpnia moueatur.

## VIII.



*Vt ad cuius domum fugitiuus aduenerit, vicinis sex loci prioribus contestetur.*

**A**D cuius domum venerit fugitiuus, prioris loci illius villicus atque præpositus quibuscunque testetur : & si eum in domum suam retinere voluerit, habeat potestatem. Quacunq; hora dominus eius superuenerit, recipiat, & nullam calumniam qui suscepit incurrat. Quod si se fugitiuus ad alia loca transtulerit, sacramentum præsentibus illis quibus testis est præbere debet, se vt fugeret non persuasisse, vel præcepisse, & se vbi lateat nescire, & posthæc nullam calumniam patiatur.

*De susceptione fugitiuorum : si dominus vel seruus suscipiat alterius fugitiuum.*

**A**D cuius domum transiens aduenerit fugitiuus, si accepta ex incognito elemosyna confestim alibi pertransierit, calumpnia illi qui quasi peregrinus ad horam hospicio suscepit, moueri omnino non poterit : cum se huiusmodi susceptor sacramentis purgauerit, quia incognitum habuerit eum, cui prætereunti elemosynam dedit. Quod si duobus aut tribus diebus fugitiuus apud alterum quolibet modo permanferit, statim ille qui eum suscepit, secundum quod superiori lege præcipitur, ante diem octauum prioribus loci illius, iudici, villico, atque præposito coram <sup>† idoneis</sup> teste, eum <sup>† testibus,</sup> quem suscepit præsentare procurer. Sicque interrogetur ac strenuè perquiratur à iudice, aut cuius sit seruus, aut quando à domino suo fugerit, aut quando aut vbi ille qui eum præsentat suscepit. Sicque tota in vnum collecta atque conscripta iudex aut alii qui adfuerint manu sua hæc quæ perquisita fuerint vel inuenta subscribere debeant. Ita vt & fugitiuū & hoc ipsum q; scriptis de eodē <sup>†</sup> alligatū est, ille qui eū præsentauit in potestate sua recipiat, qualiter eum infra dies octo suis dominis reddat. Quod si dominus fugitiui longe fortasse sit positus, viginti per dies singulos millibus computatis spatio ille qui fugitiuum suscepit sibi concessio in præfinito die, vbi dominum fugitiui repperit, fugitiuum ipsam domino suo, aut per se aut per quem voluerit, seruiturum restituat : & commodum suum, quantum lege altera constat, per triginta millia tremissem vnum à domino fugitiui accipiat. Quod si eidem, qui fugitiuum suscepit, grauosum fortasse extiterit propter terrarum longinquitatem fugitiuum domino suo præsentare, saltem vel vbi vicinas possessiones domini fugitiui agnouerit, auctori vel procuratori fugitiuum coram legitimo teste præsentet : & accepta superioris commodi summa, securus ipse qui fugitiuum suscepit, abscedat. Iam vero si fugitiuum iudici præsentauerit, & à iudice perquisitus ipse qui præsentauit, cuius seruus sit nullo modo dixerit, apud iudicem ipse qui eum præsentauerat, eundem fugitiuum relinquat. Iudex vero sub ardua custodia eundem qui præsentatus est, infra tempus, & iuxta modum superiùs constitutum regis obtutibus præsentare non differat: vt principali potestate manente manifeste que-  
<sup>40</sup> situs, vbi cunctorum constat adesse conuentum, cognitio fugitiui per plurimos habeatur. His igitur omnibus necessaria sanctione præmissis, quicumque deinceps fugitiuum cognitum vel incognitum, non sub isto quo præmissum est ordine, aut iudici non præsentauerit, aut suo domino non reddiderit, domino fugitiui & ipsum qui fugerit & alium cum eo in satisfactione restituat seruiturum. Quod si fugitiuus perierit, duos similes seruos à susceptore dominus fugitiui recipiat. Hoc quoq; & iudex damno multabitur, si ordinem implere distulerit superiùs constitutum. Si verò seruus contra voluntatem domini sui fugitiuum alterius suscepit, extensus coram iudice centum flagella suscipiat, & fugitiuus petenti domino mox reformetur. Quod si iam qui à seruo susceptus est fugitiuus minime repperitus extiterit, alium similem seruum pro eo dominus serui susceptoris reddere compellendus est. Certè si dominus pro seruo componere noluerit, seruum ipsum tradere non moretur.

X.

*Vt bis venditus seruus, per fugam rediens, in libertate permaneat.*

**S**I quis proprium seruum extra prouincias nostras ad alias regiones venditione transtulerit, ac postmodum seruus reuersus fuerit, & dominus eum iteratim vendiderit, cogatur à iudice vt eum ab emptore recipiat, & receptum deinceps seruum nullo modo inquietet, sed liber permaneat. Ipse vero qui eum ex peregrinis locis ad patriam remeantem notanda iterum cupiditate distraxerat, alium seruum pariter meriti priori reddat emptori : nihilominus & illi qui postea comparauit pretium



redditurus. Sed tamen seruum ex peregrinatione reuerfum, nec vendere prior dominus, nec seruitio suo applicare præsumat, sed perenniter idem seruus in libertate persistat.

## XI.

*Vt discutiatur mancipium fugitiuum, ne propter lucrum capiendum fuerit ad domum suscipientis immissum.*

**M**ancipium fugitiuum discutiatur, vt nomen domini sui exprimat, & diligentius præsentate iudice requiratur, ne forte propter lucrum capiendum ad domum fuerit suscipientis immissum. Et si ita esse constiterit, dominus tantæ fraudis inuentus illi, quem in crimine occultati serui implicare conatus est, damnum quod occultatoribus impositum est, ipse persoluat. Æquum enim est, vt tam nocentium insidiarum reatus in suum recurrat auctorem.

## XII.

*Si ingenuum se esse mentiens seruus sub mercedis conditione apud alium commoretur.*

**S**i seruus fugiens ingenuum se esse dicat, & vnde sit ignoretur: Sicque apud quemlibet fuerit immoratus sub certa conditione mercedis, secundum superiorem legem iudici ante præsentetur & discutiatur. Et si mercenarium eum non fugitiuum inuestigatio iudicis perquirentis inuenierit; si in postmodum apud quemlibet fuerit inueniatur à domino, non potest tanquam reus teneri, qui nesciens fugitiuum mercenarii loco susceperit. Dominus vero fugitiui, mercedem quæ placita fuerat consequatur. Quod si seruus à domino de fuga reductus iterum fugerit, & eum iterato fugientem receperit, qui mercenarium eum ante susceperat, continuo aut iudici tradat, aut domino remittere non moretur. Cæterum si hoc non fecerit, damnum occultatoris accipiat.

## XIII.

*Si fugitiuus in domo cuiuscunque fuerit inuentus.*

**S**i fugitiuus in domo potentis, aut cuiuslibet fuerit inuentus, qui liberum se esse dicat, aut fortasse non dicat, repetenti sine dilatione reddatur. Ille vero qui receperit, se iudicio caueat ad futurum, nullis ante iudicium tormentis eum traditurus, donec aut iste suam vindicet libertatem, aut certe ille approbet seruum qui repetit. Quod si petitor ista cauere noluerit, fugitiuus ille sub illius apud quem inuentus est fideiussione tandiu consistat: quandiu agnosci possit, quid de eodem rationabiliter iudex absque retardatione definiat.

## XIII.

*De mercede eius qui prendiderit fugitiuum.*

**S**i quis fugitiuum comprehenderit, per xxx. millia vel infra tremissem accipiat: per centum autem millia vnum solidum pro beneficio consequatur. Sicque dum creuerit numerus millium, crescat & numerus solidorum: ita vt qui inuenit fugitiuum, eum cum rebus omnibus quas cum eo inuenit præsentare suo domino non moretur. Quod si fugitiuus ab eo quo fuerat captus fugerit, dominus serui ab eodem sacramentum accipiat, quod non ipsius fraude vel studio fugitiuus euaserit, & nullam postea calumniam pertimescat. Et si post datum sacramentum aliquid à fugitiuo conuincetur accepisse mercedis, aut eius fraude doceatur admissum vt fugitiuus ad longinquiora pertenderet: si fugitiuus fuerit inuentus, pariter meriti alium seruum domino reformare cogatur. Sin autem inuentus non fuerit, duos eiusdem meriti seruos domino eius compellatur exsoluere.

## XV. ANTIQVA.

*Si seruus fugiens se esse mentitur ingenuum.*

**S**i seruus in fuga positus ad ignotos aduenerit, & sibi mulierem ingenuam in coniugio copulauerit, eo quod dicat se ingenuum esse: & hoc mulier vel eius parentes ita factum conuincerint, aut certe iudex talem probationem à parte mulieris inspexerit: dum dominus serui hanc veritatem agnouerit, nihil ipsi mulieri dampni aut calumniæ moueatur, sed si libera, & filii qui ex eis sunt procreati conditionem matris

matris sequantur. A seruo vero si voluerit non separetur, si tamen hoc & dominus serui voluerit.

## XVI.

*Si seruus fugiens dicat se esse ingenuum, & ob hoc mulieris ingenuae connubio sociatur.*

**Q**uia saepe, dum serui dominos suos fugiunt, mentientes se esse ingenuos, mulieribus ingenuis contra legum decreta in coniugio copulantur: ideo huius legis valitura promulgatione decreuimus, vt si quis seruus in fuga positus, vel quibuscunque modis de iure domini sui euagans, ad quemlibet peruenerit, vtrum ingenuum se esse dicat, aut fortasse non dicat. Et sub hac occasione ingenuae mulieri petierit copulari. Quicquid de tam inhonesta coniunctione fuerit procreatum, conditionem patris proculdubio sequatur: vt dum eius dominus aduenerit, non solum eundem fugitiuum, sed & filios exinde progenitos, omneque eorum peculium suo debeat vindicare dominio. Similis quoque & de ancillis ordo seruandus est, quae fugientes dominos suos viris ingenuis se copulare praesumpserint.

## XVII. ANTIQVA. FLS. CIND. REX.

*De his quae seruus fugiens adquisisse videatur.*

**S**i seruus in fuga positus, aliquid dum in ea fuga est de artificio suo vel quocunque iusto labore adquisierit, dominus eius dum eum inuenerit sibi vindicet omnia. Caeterum si cum rebus furatis eum dominus suus reppererit, nihil exinde sibi defendere poterit, sed ei qui perdidit reddere non tardabit. Si vero damnum aut quodcumque crimen isdem fugitiuus admisisse conuincitur, ille componat qui latebras ei praebuisse conuincitur.

## XVIII.

*De his qui praeventos seruos dominis reformare contendunt.*

**D**um plerique controuersis vacare nituntur, legum quasdam sententias inique peruertunt, & pro eo quod antiqua lege decretum est, vt dum fugitiui dominus superuenerit, eum recipiat, differant eius domino reddere fugitiuum: vt sub hac fortasse occasione dilatio praetenditur, sibi eum cum prolixitate temporis vindicent seruiturum: praesertim quia sit omnino superfluum, & pro vilis interdum serui persona dominum ducentis aut trecentis millibus vel amplius fatigari: & talis obiectio callide magis quam veraciter videtur opponi. Proinde constituentes decernimus, vt quicumque domino seu per se, siue per hominem suum requirenti fugitiuum suum & agnoscenti reddere distulerit, vel comprehensum excusserit: quatuor eiusdem meriti seruos, & eundem fugitiuum domino eius reddere compellatur. Aut si idem fugitiuus perierit, quinque proculdubio similes seruos exsoluere non moretur: vnum ex eis ille qui composuit postmodum recepturus, si vel ab ipso vel a domino suo fugitiuus inuentus, in seruitium proprii domini fuerit restitutus: ita vt si talia nesciente domino seruus admisserit, si voluerit dominus, duos eiusdem meriti seruos pro eo serui domino det. Si autem voluerit, seruus tradatur fugitiui domino perenniter seruiturus. Et talis etiam de ancillis ordo seruatur.

## XVIII.

*Si ingenuus vel seruus latrones celandos susceperit.*

**S**i quis ingenuus vel seruus sciens latrones celandos susceperit, praesentet quos celauit, & ducentos ictus accipiat flagellorum. Quod si non praesentauerit abscondos, poenam quam illi merebantur incurrat.

## XX.

*Vt iudex cum omnibus rebus cum quibuscunque fugitiuum inuenerit domino aduenienti restituat.*

**V**t id quod iudex apud reum aut fugitiuum inuenerit, absente eo qui reum aut fugitiuum persequitur, comiti ciuitatis ostendat, & sic apud se retineat, ei qui perdidit cum adfuerit redditurus.



DE HIS QVI AD BELLA NON VADVNT, AVT  
de bello refugiunt.

- I. *Si hi qui in exercitu prapofiti sunt, commodis corrupti, aliquem de expeditione domi redire permiferint, vel à domibus suis exire non coegerint.*
- II. *Si compulfores exercitus aliquid, dum exercitum ad hostem compellunt, de domibus eorum auferre præfumpferint.*
- III. *Si prapofiti exercitus relicto bello, aut domum redeant, aut alios redire permittant.* 10
- IV. *Si prapofiti exercitus, aut relicta expeditione domum redeant, aut alios exire minimè compellant.*
- V. *Si compulfores exercitus beneficio accepto aliquem sine ægritudine domesticare permiferint.*
- VI. *De his qui annonas distribuendas accipiunt, vel fraudare præsumunt.*
- VII. *Quam mercedem accipiat, qui mancipia vel quaslibet res de manu hostis excufferit.*
- VIII. *Quid debeat obseruari, si scandalum infra fines Hispaniæ consurrexit.*
- IX. *De his qui in exercitu, constituto die, loco vel tempore definito, non successerint: vel qua pars seruorum vniuscuiusque in eadem expeditione debeat proficisci.* 20

## I.

*Si hi qui exercitui præfunt commodis corrupti aliquem de expeditione domum redire permiferint, vel à domibus suis exire non coegerint.*



Thiufadus ab aliquo de thiufadia sua fuerit beneficio corruptus, vt eum ad domum suam redire permitteret, quod acceperat in nouecuplum reddat comiti ciuitatis in cuius est territorio constitutus. Et si ab eo nullam mercedem acceperit, sed sic eum dum sanus est ad domum dimiserit, vel de domo in exercitum exire non compulerit, reddat solidos xx. quingentenarius vero xv. & centenarius x. si certe decanus fuerit v. solidos reddere compellatur: & ipsi solidi diuidantur in centena, vbi fuerint dinumerata. 30

## II.

*Si compulfores exercitus aliquid, dum exercitum ad hostem compellunt, de domibus eorum auferre præfumpferint.*

Serui dominici, id est, compulfores exercitus, quando Gothos in hostem compellunt exire, si eis aliquid tulerint, aut ipsis præsentibus vel absentibus, sine ipsorum voluntate, de rebus eorum auferre præfumpferint & hoc ante iudicem potuerit approbari, ei cui abstulerint in vndecuplum restituere non morentur. Ita tamen vt vnusquisque eorum in conuentu publicè quinquaginta flagella suscipiat. 40

## III.

*Si prapofiti exercitus relicto bello, aut domum redeant, aut alios redire permittant.*

SI quis centenarius dimittens centenam in hostem, ad domum suam refugerit, capitali supplicio subiacebit. Quod si ad altaria sacra vel ad episcopum confugerit, trecetos solidos reddat comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus, & pro vita sua non pertimescat. Ipse tamen comes ciuitatis notum faciat regi, & sic cum nostra ordinatione partiantur solidi illi ad ipsam centenam, quæ ei fuerit ascripta. Ipse autem postmodum centenarius nullomodo præponatur, sed sit sicut vnus ex decanis. Et si centenarius sine conscientia aut voluntate præpositi hostis aut thiufadi sui de centena sua ab aliquo pro beneficio persuasus aut rogatus, quemquam ad domum suam redire permiserit, vel in hostem vt non ambularet relaxauerit, quantum ab eo acceperit in nouecuplum comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus, satisfacere compellatur: & sicut superius diximus comes ciuitatis nobis in notitiam referre non differat, vt ex nostra præceptione diuidatur inter eos in cuius centena fuerat ascriptus. Quod si centenarius ab eo nullam mercedem acceperit, & sic eum ad domum suam ambulaturum dimiserit, ille centenarius, sicut superius est comprehensum, det comiti ciuitatis solidos x. 50

IV.

*Si præpositi exercitus, aut relicta expeditione domum redeant, aut alios exire  
minimè compellant.*

**S**I decanus relinquens decaniam suam de hoste ad domum suam refugerit, aut de do-  
mo sua cum sanus est exire & ad expeditionem proficisci noluerit, det comiti ciuita-  
tis solidos x. Quod si alicui forè mercedes dederit, reddet solidos v. comiti ciuitatis in  
cuius est territorio constitutus: & ipse comes ciuitatis notum nobis faciat, † vt cum no-  
stra iussione diuidantur inter eos in quorum centena fuerat ascriptus. Quod si aliquis, † *Gerardus*  
qui in thufadia sua fuerat numeratus, sine permissu thufadi sui, vel quingentarii, aut  
centenarii, vel decani sui de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua in  
hostem proficisci noluerit, in conuentu † merentium publicè centena flagella suscipiat, † *merentibus*  
& reddat solidos decem.

V.

*Si compulsores exercitus, beneficio accepto, aliquem sine agritudine domi-  
stare permiserint.*

**S**ERUI dominici qui in hostem exire compellunt, si ab eisdem aliquis se forte redeme-  
rit, quantum ab eo acceperint, in nouecuplum comiti ciuitatis cogantur exsoluere:  
& eos quos rogauit num esset sanus, vt eum in expeditionem non compellerent, etiam  
si ab eo nullam mercedem acceperint, illi qui eum relaxauerint reddant pro eo comiti  
ciuitatis solidos v. thufadus verò quærat per ceterarios suos, & centenarii per decanos:  
& si potuerint cognoscere quia per precem aut redemptionem ad domum suam con-  
fugerint, aut de domo in hostem proficisci noluerint; tunc thufadus præposito comi-  
tis ciuitatis notum faciat, & scribat comiti ciuitatis in cuius est territorio constitutus: vt  
comes ciuitatis vindictam quæ in lege posita est his qui pro se rogant, aut qui se redi-  
munt à thufadis, vel centenariis, aut decanis, vel seruis dominicis, omnia ad integrum  
implere non differat. Quod si exegerit, & celauerit, & in notitiam non protulerit, omnia  
quæ exegerit in nouecuplum reddat. Et si corruptus ab aliquo vel rogatus exigere di-  
stulerit, in duplum de propria facultate sati. faciat illis qui inter se hanc solutionem fue-  
rant diuisuri. Quod si post exactam rem notum regi non fuerit, vt ipse hoc iubeat in  
thufadia sua cui debeatur diuidere, aut comes ciuitatis reddere fortasse dissimulet,  
† undecupli compositione eis satis facere non moretur. † *in decupli*

VI.

*De his qui annonas distribuendas accipiunt, vel fraudare presumunt.*

**H**OC iustum elegimus, vt per singulas ciuitates vel castella quicumque erogator an-  
nonæ fuerit constitutus, comes ciuitatis vel annonæ dispensator, annonam quam  
eis est daturus, ex integro in ciuitate vel castellis iubeat exhiberi, & ad integrum eis  
restituere non moretur. Quod si contigerit vt ipse comes ciuitatis aut annonarius, per  
negligentiam suam nõ habens, aut forsitan nolens, annonas eorum dare dissimulet, co-  
miti exercitus sui querelam deponant, quod annonas eorum dispensatores tradere no-  
luerint: & tunc ille præpositus hostis hominem suum ad nos mittere non moretur. Ita  
vt numerentur dies ex quo annonæ eorum iuxta consuetudinem eis impletæ non fue-  
rint. Et tunc ipse comes ciuitatis vel annonarius in quantum temporis eis annonas con-  
suetas subtraxerat, in quadruplum eis inuitus de sua propria facultate restituat. Simili-  
ter & de his qui in thufadia numerati fuerint obseruari præcipimus:

VII.

*Quam mercedem accipiat qui mancipia vel quaslibet res de manu  
hostis excusserit.*

**Q**VICUMQUE de vitæ suæ statu desperans inimicos fuerit aggressus, vt mancipia vel  
quodcumque genus pecuniæ aut aliarum rerum ab inimicis possit excutere, &  
certus rei dominus apud eum videatur aliquid agnoscere, de eis ex toto duas par-  
tes pro intuitu misericordiæ domino certo restituat: tertiam vero partem pro la-  
boris sui præmio consequatur. Similiter & si quis qualecunque mancipium ab i-  
nimicis sollicitauerit, & ipsi mancipio patrociniū aut consiliū præstiterit, & eum



ad certum dominum perduxerit: quicumq; fuerit agnitus hoc fecisse, decimam partem mercedis pro tali causa aut euentu omnino excipiat habiturus.

VIII. IN. NOMINE. DOMINI. WAMBA. REX.

*Quid debeat obseruari si scandalum infra fines Hispanie surrexerit.*

**C**Ogit nostræ gloriæ saluberrima intentio, vt sicut in dirimendis negotiis populorum, legum est auctoritas promulgata: ita in rebus bellicis mutuo suffulta præsidio habilis ad expugnandum maneat, fraternitatis dilectione retenta. Prodesse enim hominibus tranquillitas nostra non ambigit, si cunctorum animos ad bonum propositum classica legis tuba euocando constringat: scilicet vt quæ in præteritis non bene ordinata discurrunt, deinceps disposita opitulante domino in melius proficiantur. Et ideo huius malè vsitatæ consuetudinis mores nostra clementia perhorrescit, & tardiosè tolerat, quod per quorundam incuriam frequentia occurrant patriæ dampna. Nam quotienscunque aliqua infestatio inimicorum in prouincias regni nostri se ingerit, dum nostris hominibus, qui in confinio externis gentibus adiunguntur, hostilis surrexit bellandi necessitas: ita quidam facillima se occasione dispergunt, modò transductione loci, modò liuore odij, modò etiã impossibilitatis dissimulatione subnixi, vt in eo præliandi certamine vnus alteri fraterna solatia non impendat: & sub hac occasione, vt qui præsentare se pro publicis vtilitatibus audacter voluerit, casu imminētis periculi ab aduersariis perimatur. Ideo præsentis sanctione decernimus, vt à die legis huius prænotato vel tempore, si quælibet aduersitas inimicorum contra partem nostram commota extiterit, seu sit episcopus, siue etiam in quocunque ecclesiastico ordine constitutus, seu sit dux aut comes, thiufadus aut vicarius, gardingus vel quælibet persona, cui aut ex ipso sit commissum, vbi aduersitas ipsa occurrerit, aut ex altero qui in ciuitate adiungitur, vel quicumque in easdem prouincias vel territoria superueniens infra centum millia positus, statim vbi necessitas emerferit, mox à duce seu comite, thiufado vel vicario, aut à quolibet fuerit admonitus, vel quo modo ad suam cognitionem peruenerit, & ad defensionem gentis vel patriæ nostræ paratus cum omni virtute sua qua valuerit non fuerit, & quibuslibet subrilatibus vel requisitis occasionibus alibi se transferre vel excusare voluerit: vt in adiutorio fratrum suorum promptus atque alacer pro vindicatione patriæ non existat: & superueniens aduersariorum hostilitas aliquid dampni vel captiuitatis in populos vel in prouincias regni nostri amodò intulerit: quisquis tardus vel formidolosus, vel qualibet malitia, timore vel tepiditate succinctus extiterit, & ad præstitum vel vindicationem gentis suæ & patriæ exire vel intèdere contra inimicos nostræ gentis tota virium intentione distulerit: si quisque ex sacerdotibus vel clericis fuerit & non habuerit vnde dampna rerū terræ nostræ ab inimicis illata de rebus propriis satis faciat, iuxta electionem principis restrictiori mancipetur exilio. Hæc sola sententia in episcopis, præbyteris & diaconibus obseruanda est. In clericis verò non habentibus honorem iuxta subtiliorem de laicis ordinem constitutum omnis sententia ad implenda est. Ex laicis verò, siue sit nobilis siue mediocrior viliorque persona, qui talia gesserint, præsentis lege constituimus, vt amisso testimonio dignitatis redigatur protinus ad conditionem vltimæ seruitutis: & de eius persona quicquid princeps vindicare voluerit, potestas illi indubitata manebit. Nam iustū est, vt qui nobilitatem generis sui & statum patriæ, quod præsentis gentis adquisiuit vtilitas, constanti animo vendicare nequiuit, legis huius sententia feriat, qui nobiliter superioribus culpis adstrictus degenerat, qui inutilis repperitur. De bonis autem transgressorum, laicorum scilicet atq; etiam clericorum qui sine honore sunt, id decernimus obseruandū: vt qui deinceps hoc fortasse commiserint, inde cuncta dampna terræ nostræ vel his qui mala pertulerint sarciantur, vt rectè doleat, & dignitatem se amisisse nobilium, & prædia facultatum, cuius maligna vel timida factio, nec lædentem repulit hostem, nec se ostendit in aduersariorum conuersione virilem. Nam & si quilibet infra fines Hispanie, Gallie, Gallicie, vel in cunctis prouinciis quæ ad ditionem nostri regiminis pertinent, scandalum in quacunque parte contra gentem vel patriam nostrumque regnum vel etiam successorum nostrorum mouerit aut mouere voluerit, dum hoc in vicinis locis ipsius partis iuxta numerum milliorum superscriptum nuntiatum fuerit: aut etiam specialiter quisquis ille à sacerdotibus, clericis, ducibus, comitibus, thiufadis, vicariis, vel quibuslibet personis iuxta ordinem superscriptum admonitus fuerit, vel ad suam cognitionem quoquomodo peruenerit: & statim ad vindicationem aut regis, aut gentis & patriæ, vel fidelium præsentis Regis contra quem ipsum scandalum excitatum extiterit, non citata deuotione occurrerit, & præstitum se in eorum adiutorio ad destruendum



dum exortum scandalum non exhibuerit: si episcopus vel quilibet ex clero fuerit, aut fortasse ex officio palatino, in quocunque sit ordine constitutus, vel quælibet persona fuerit dignitatis, aut fortasse inferior, huius infidelitatis impublicatus scelere, non solum exilio relegetur, sed & de eorum facultatibus quidquid censura regalis exinde facere vel iudicare voluerit, arbitrio illius & potestati per omnia subiacebit. Illos tantum a superioribus capitulis lex ista indemnes efficiet, qui ita ab infirmitate fuerint prægrauati ut progredi vel proficisci in consortio fidelium secundum superiorem ordinem minime possint. Qui vero & si ipsi morbis quibuslibet fuerint præpediti, omnem tamen suam virtutem in adiutorio episcoporum vel clericorum atque fratrum suorum sinceriter pro  
 10 utilitate regis potestatis, gentis & patriæ fideliter laborantium dirigebunt. Quod si hoc non fecerint, superiori sententia pariter cum transgressoribus feriantur. Persona autem illa tunc erit a superscripta dampnatione innoxia, dum per idoneum testem conuicerit ita se esse per ægritudinem impossibilem, ut nullum habuisset in tempore præstandi vel proficiscendi vigorem: ut vitium, quod ex præteritis temporibus male usque hætenus inolenerat, & seuera legis huius censura redarguat, & consors atque vnanimis assensio quietem plebium & patriæ defensionem adquirat.

DATA ET CONFIRMATA EST LEX DIE KALENDARVM NOVEM-  
 BRIVM, ANNO FELICITER SECVNDO  
 20 REGNI NOSTRI.

VIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

*De his qui in exercitū constituto loco vel tempore definito non successerint, aut refugerint, vel que pars seruorum vnusquisque in eadem expeditione debeat proficisci.*

Slamatores patriæ hi proculdubio approbatur qui se periculis vltionè pro eius libe-  
 ratione obiciunt, cur desertores potius non dicantur, qui vindicatores eius esse non  
 desunt. Nam quando hi tales voluntarie terram saluaturi credendi sunt, qui etiam †  
 animo acri pro liberatione patriæ non insurgunt, dum aut de bellica profectioe se dif-  
 ferunt, aut (quod peius est) remorari contra monita cupiunt, vel destituti contra ordinē  
 30 proficiscuntur: cum quidam illorum laborandis agris studentes, seruorum multitudi-  
 nes cædunt, & procurandæ salutis suæ gratia nec vigesimam quidem partem suæ fami-  
 liæ secum ducunt. Quin potius auctiores volunt fieri fruge, quam corporis sospitate:  
 dum sua tegunt & se destituunt, maiorem diligentiam rei familiaris quam experienti-  
 am habentes in armis, quasi laborata fruituri possideant, si victores esse desistant. Con-  
 sulendum est ergo talibus per disciplinam, quos studia utilitatis propriæ non inuitant.  
 Vnde id cunctis populis regni nostri sub generali & omnimoda constitutione præci-  
 40 pipimus, ut in constituto ac præfinito die vel tempore, quo aut princeps in exercitum ire  
 decreuerit, aut quemlibet de ducibus vel comitibus profecturum in publica utilitate  
 præceperit: quisquis ille siue admonitionem cuiuslibet suscipiat, seu etiam nec admo-  
 nitus, qualibet tamen cognitione id sentiat, vel quocunque sibi indicio innotescat, quo  
 in loco exercitus bellaturus accedat, domi vltius residere non audeat, vel qualem-  
 cunque remorationem vel excusationem profecturus exhibeat: sed definitis locis atque  
 50 temporibus iuxta quod eum vel iussio principalis monuerit, vel admonitio ducis vel co-  
 mitis: vicarii seu cuiuslibet curam agentis tetigerit, præstitum se vnusquisque definito  
 loco vel tempore exhibeat. Iam vero si quisquis ille admonitus vel etiam si nec admo-  
 nitus, & tamen qualibet cognitione sibimet innotescente non nescius, aut progredi sta-  
 tim noluerit, aut definitis locis atque temporibus præstitus esse destiterit, si maioris lo-  
 ci persona fuerit, id est dux, comes siue etiam gardingus, à bonis pro his ex toto priua-  
 tus, exilii relegatione iussu regio mancipetur: ita ut quod principalis sublimitas de re-  
 60 bus eius iudicare elegerit, in suæ persistat potestatis arbitrio. Inferiores sane viliores-  
 que personæ, thiufadi scilicet, omnisque exercitus compulsores, vel hi qui compul-  
 sentur, si aut in exercitum venire distulerint, aut in loco vel tempore constituto mini-  
 me occurrerint, vel proficisci neglexerint, seu de expeditione publica quocunque  
 fraudis commento effugiendo se subtraxerint, non solum ducentenis ictibus flagello-  
 rum verberati, sed & turpi decaluatione fœdati, singulas insuper libras auri cogantur  
 exsoluere. Quas principalis potestas cui largiri decreuerit, sui maneat incunctanter  
 arbitrii. Quod si non habuerit vnde hanc compositionem exsoluat, tunc regis po-  
 testatis sit licitum huiusmodi transgressorem perpetuæ seruituti subicere: ut



quod de eo suisque ordinare decreuerit, habeat sine dubio potestatem. Illos sane ab huiusmodi legis sententia decreuimus permanere innocuos, quos aut principalis absoluerit iussio, aut minoris adhuc ætatis retinuerit tempus, aut senectutis vetustas, aut etiam ægritudinis cuiuscunque grauida represserit moles. Si tamen is qui in ægritudinis langore in exercitum proficisci nequit, omnem virtutem rei suæ ipse ægritudine prægrauatus, secundum legis huius institutionem, in publicis utilitatibus cum duce vel comite suo dirigere non moretur. Nunc vero quia de generali omnium progressionem prædiximus, restat ut de progressorum virtute vel copiis institute ponamus. Et ideo id decreto speciali decernimus, ut quisquis ille est, siue sit dux siue comes atque gardingus, seu sit Gothus siue Romanus, necnon ingenuus quisque, vel etiam manumissus, 10 seu etiam quislibet ex seruis fiscalibus, quisquis horum est in exercitum progressurus, decimam partem seruorum suorum secum in expeditionem bellicam ducturus accedat: ita ut hæc ipsa pars decima seruorum non in armis existat, sed vario armorum genere instructa appareat: Sic quoque ut vnusquisque de his, quos secum in exercitum duxerit partem aliquam, zavis vel loriceis munitam: pluresque vero scutis, spatibus, † seramis, lanceis, sagittisque instructos quosdam etiam fundarum instrumentis, vel cæteris armis, quæ nouiter forsitan vnusquisque à seniore vel domino suo iniuncta habuerit, principi, duci, vel comiti suo præsentare studeat. Si quis autem extra hanc decimam partem seruorum suorum in exercitus progressionem accesserit, omnis ipsa decima pars seruorum eius studiose quaesita atque descripta: quidquid minus inuentum fuerit de hac 20 instituta decima parte seruorum in bellicam vnumquemque secum expeditionem duxisse, in potestate principis reducendum est: ut cui hoc idem princeps prælargiri decreuerit, in eius subiaceat potestate. Quicumque vero ex palatino officio ita in exercitus expeditionem profectus extiterit, ut nec in principali seruitio frequens adsistat, nec in uardia cum reliquis fratribus laborem sustineat, nouerit se legis huius sententia feriendum: excepto si eam manifesta languoris ostensio comprobauerit morbidum. Nam & si quisque exercituum in eandem bellicam expeditionem proficiscens minime ducem aut comitem suum aut etiam patronum suum secutus fuerit: sed per patrocina† diuersorum se dilatauerit: ita ut neque in uardia cum seniore suo persistat, nec aliquem utilitati publicæ profectum exhibeat: non ei talis profectio imputanda est, 30 sed superiorum ordinem, quæ de uilioribus inferioribusque personis in hac lege decreta sunt, in semetipsum nouerit sustinere. His igitur ordinatis atque compositis restat ut frænum cupiditati eorum ponamus, quos ad peragenda negotia utilitatis nostræ impingimus. Et ideo nullus dux comes, thiufadus, seu quislibet commissos populos reges, accepto beneficio vel qualibet occasione, seu pessimæ voluntatis, quemquam de suis subditis de bellica profectioe dimittat, aut admonitiones ipsas quæ fieri debent progressionem exercitus, vel indictionem armorum, sub ista quasi admonitionis occasione interferant, unde quemquam illorum militare præsumat. Nam quisque talia agens pro his (ut dictum est) causis à quolibet aut oblatum quodcunque perceperit, aut ipse cuiusque exegerit: & quidē si de primariis palatii fuerit, & illi à quo tale accepit, in quadruplum facti faciat, & principi pro eo solo quo se munificare præsumpsit libram auri soluturum se nouerit. Minores uero personæ, ab honore vel dignitate ingenuitatis priuatæ, in potestatem principis sunt redigendæ: ut quod de eis vel de rebus eorum iudicare elegerit, suæ subiaceat modis omnibus potestati.

## III. TITVLVS.

## DE HIS QUI AD ECCLESIAM CONFUGIUM FACIUNT.

- I. Ne ad ecclesiam confugiens abstrahatur, nisi armis defensus.
- II. Si ad ecclesiam confugiens, dum suis armis defenditur, occidatur.
- III. De dampno hominem ab ecclesia abstrahentis.
- IIII. Ut debitor siue reus de ecclesia non abstrahatur, sed quæ sunt debita reddant.

I.

Ne ad ecclesiam confugiens abstrahatur, nisi armis defensus.

**N**ullus de ecclesia ausus sit aliquem uolenter abstrahere, nisi ad ecclesiam confugiens armis se fortasse defendere uoluerit.

II.

Si ad ecclesiam confugiens, dum suis armis defenditur, occidatur.

**Q**ui ad ecclesiæ porticus confugerit, & non deposuerit arma quæ tenuit: si fuerit

fuert occifus, percuffor in loco fancto nullam fecit iniuriam, nec vllam calumpniam pertimefcet.

III.

*De dampno hominem ab ecclefia abftrahentis.*

SI quis de altaribus feruum fuum aut debitorem non traditum fibi à facerdote vel ab ecclefia cuftodibus, violenter diftraxerit: fi honeftioris loci perfona eft, vt primùm de eo iudici fuerit relatum altario, cui iniuriofus fuit, cogatur exfoluere folidos cētum. Inferioris verò loci perfona det folidos xxx. Quod fi non habuerit vnde perfoluat, correptus à iudice, in cōuentu c. flagella fufcipiat. Dominus verò feruum fiue creditor debitorem recipiat excufatum.

IIII.

*Vt debitor fiue reus de ecclefia non abftrahantur, fed quæ funt debita reddant.*

EOS qui ad ecclefiam vel ecclefia porticus confugerint, nullus contingere præfumat: fed præfbytero vel diacono repetat, vt reformet. & feū debitor, feū reus qui confugerit, fi non meretur occidi, apud repetentem ecclefia cultor interueniat, vt ei veniam det, & exoratus indulgeat. Quod fi debitor aliquis ad ecclefiam cōfugerit, eum ecclefia non defendat: fed præfbyter aut diaconus debitorem fine dilatione reftituat: ita vt ipfe qui debitum repetit, nequaquam cædere aut ligare eum præfumat, qui ad ecclefia auxiliū decucurrit: fed præfente præfbytero vel diacono cōftituatur intra quod tempus ei debitum reformetur. Quod licet ecclefia interuentui religionis contemplatione concedatur, aliena tamen retinere non poterunt. De homicidis autem, maleficis aut veneficis in eorum titulis leges funt requirenda.

## DE DIVISIONIBVS ET TEMPORIBVS ATQVE LIMITIBVS, LIBER DECIMVS.

I. TITVLVS.

DE DIVISIONIBVS ET TERRIS AD PLACITVM DATIS.

- I. *Vt valeat femelfacta diuifio.*
- II. *De non reuocanda diuifione inter fratres, etiam fi fine fcriptura fit facta, folum fi idoneo teſte conuincat.*
- III. *Vt quod à pluribus & melioribus in diuifione eſt cōſtitutum, à paucis & deterioribus non liceat immutari.*
- IV. *Vt liceat vni heredi reſpondere ſi ab aliquo petitur, & petere, ſi cauſa qualicumque compellitur.*
- V. *Si placitum quis diuifionis irrumpat, diuiſam partem uſurpans.*
- VI. *Si vineam aut domum quis in conſortis terra ſtruerit.*
- VII. *Si vineam in aliena terra quis plantet, in qua ſortem non habet.*
- VIII. *De diuifione terrarum facta inter Gothum atq; Romanum.*
- IX. *De filijs inter Gothum & Romanum indiuiſis relictis.*
- X. *Quod ea quæ feruus non iubente domino fecerit, & excepto quod lex iubet valere nō poterit.*
- XI. *Vt qui terras ad canonem acceperit, placitum ſeruet.*
- XII. *De terris quæ definito annorum numero per placitum dantur.*
- XIII. *Si ille qui ad placitum accepit terras, extendat culturas.*
- XIIII. *Si inter eum qui dat & accipit terram aut ſiluam contentio oriatur.*
- XV. *Vt qui ad colendam terram accepit, ſicut ille qui terram dedit, ita & iſte cenſum exſoluat.*
- XVI. *Vt ſi Gothi de Romanorum terra quippiam tulerint, iudice inſiſtente Romanis cuncta reforment.*
- XVII. *De mancipiorum agnitionibus diuidendis, atq; eorum peculiis partiendis & decernendis.*
- XVIII. *Vt peculium & peculiare ad vnā intelligentiam habeatur.*
- XVIII. *Si pro acceptis rebus promiſſio non ſoluatur.*



*Ut valeat semel facta diuisio.*



**V**aleat semel facta diuisio iusta, ut nulla in postmodum immutandi admittatur occasio.

*De non reuocanda diuisione inter fratres, etiam si sine scriptura sit facta, solum si idoneo teste conuincat.*

**D**iuisionem factam inter fratres, etiam si sine scriptura inter eos conuenerit, permanere iubemus: dummodo à testibus idoneis comprobetur: & diuisio ipsa plenam habeat firmitatem.

III. ANTIQVA.

*Ut quod à pluribus & melioribus in diuisione est constitutum, à paucis & deterioribus non liceat immutari.*

**S**i plures fuerint in diuisione consortes, quod à multis vel à melioribus iuste constitutum est, à paucis vel deterioribus non conuenit aliquatenus immutari.

IIII. FLS. VNS. REX.

*Et liceat uni heredi respondere, si ab aliquo petitur: & petere, si causa qualicunq; compellitur.*

**C**um prisca legis auctoritate fuerit constitutum, ut is qui ad dicendam causam compellitur, non nisi presente eo, qui religiosè confors est, audiatur: satis ex hoc peritorum negotia superflue conspeximus dilatari: cum ad dicendam causam pro sua vnusquisque persona sufficiat. Igitur ne callida oppositione causantis, dum excusatio præceditur, pro consorte tricennalis obuiet annositas petitori: prouidentissima deliberatione sancimus, ut remota excusatione consortium, tam pro eorum quam pro sua persona, is qui iudicialiter pro communibus rebus fuerit appellatus respondeat, nec vllum præiudicium consortis absentia, si coheres eius iustissime seu etiam per commentum aut per ignauiam fuerit superatus, incurrat: sed si separate negotium legaliter intenderit, permittatur. Abrogata denique supra factæ legistam inconuenienti sententia, hoc salubre decretum per vniuersos regni nostri populos omni decernimus reuerentia valiturum. Ac similis etiam ordo seruabitur, si vnus forsitan ex consortibus quemquam crediderit lite pulsandum.

V.

*Si placitum quis diuisionis irrumpat, diuisam partem vsurpans.*

**Q**ui placitum diuisionis irruperit, & quamlibet partem alienæ portionis inuaserit, quantum de suo, quantum de alieno occupauit, amittat.

VI.

*Si vineam aut domum quis in consortis terra construxerit.*

**S**i quis domino sciente vel consentiente vineam in consortis terra plantauerit aut domum fecerit, vel certè si ipse qui vineam plantat vel domum facit, aut ignorauit quod portio sit consortis: dum hoc aut testibus aut iuramento firmauerit, aliud tantum parisi meriti domino illi in cuius terra vineam plantauit, restituat, & qui posuit vineam securus obtineat. Si verò domino contradicente plantauerit, iuste perdat qui rem alienam domino contraeunte plantauit. Similis etiam de ædificiis forma seruetur. Hoc tamen aditimus, ut si quicumq; alteri terram vendiderit, aut donauerit, siue commutatam acceperit, quæ tamen reperiatur quandoquidem non iuris eius fuisse qui dedit, si ille qui terram ipsam acceperit in eadem terra domum ædificauerit, aut vineam plantauerit, siue oliueta, † hortus, vel \* pomaria fecerit, siue etiam si quid utilitatis ibi aut laboris adiecerit: & dominus terræ illius, cui terra ipsa debita fortasse manebat, callidum se seruans contestari noluit, aut fortasse longe commanens id ipsum aut nescierit aut contestari neglexerit: ut in postmodum laboratum ibi auferre aliquid possit, dum hoc ipse cuius eandem terram esse patuerit, coram iudice propulsauerit, ab auctore qui terram ipsam iniuste alteri dedit, alteram & similem terram in duplo recipiat: & ille qui in eadem terra labores suos exercuit, id quod laborauit nullo modo perdat.

† hortos.  
\* pomaria.

VII.

*Si vineam in aliena terra quis plantauerit, in qua sortem non habet.*

**Q**ui vineam in alieni fundi territorio, in quo ipse confor non est, sine permissione domini, siue per vim, aut forsitan domino nesciente, vel absente plantauerit: etiam si ei contradictum non fuerit, vineam quam plantauit amittat: Quia sufficere ei debet, quod ad duplicationem rei non addicitur, quia aliena peruasibile dinoscitur.

VIII.

*De diuisione terrarum facta inter Gothum & Romanum.*

**D**iuisio inter Gothum & Romanum facta de portione terrarum siue siluarum, nulla ratione turbetur, si tamen probatur celebrata diuisio: nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus præsumat aut vendicat: Aut de terra Romani Gothus sibi aliquid audeat usurpare aut vendicare: nisi quod de nostra forsitan ei fuerit largitate donatum. Sed quod à parentibus, vel vicinis diuisum est, posteritas immutare non tentet.

VIII.

*De siluis inter Gothum & Romanum indiuisis relictis.*

**D**e siluis quæ indiuisæ forsitan releserunt, seu Gothus seu Romanus eas assumpserit, & fortasse fecerit culturas: statuimus vt si adhuc silua superest, vnde paris meriti terra eius cui debetur portioni debeat compensari, siluam accipere non recuset. Si autem paris meriti quæ compensatur, silua non fuerit, quod ad culturam scissum est diuidatur.

X.

*Quod ea que seruus non iubente domino fecerit, excepto quod lex iubet, valere non poterit.*

**Q**uidquid seruus domino iubente diuiderit vel fecerit, excepto quod lex permittit, firmum non esse iubemus: si id dominus serui noluerit custodire.

XI.

*Qui terras ad canonem acceperit, placitum seruet.*

**T**erras quæ ad placitum canonis datæ sunt, quicumque suscepit, ipse possideat, & canonem domino singulis annis qui fuerit defunctus exsoluat. quia placitum non oportet interrumpi. Quod si canonem constitutum singulis annis implere neglexerit, terras dominus pro suo iure defendat. quia sua culpa beneficium quod fuerat consecutus, amittat: quia placitum non impluisse conuincitur.

XII.

*De terris qua definito annorum numero per placitum dantur.*

**S**i per precariam epistolam certus annorum numerus fuerit comprehensus, ita vt ille qui suscepit terras, post quodcunque tempus domino reformaret: iuxta conditionem placii terras restituere non moretur.

XIII.

*Si ille qui ad placitum accepit terras, extendat culturas.*

**Q**ui ad placitum terras suscepit, hoc tantum teneat, quod eum terrarum dominus habere permiserat, & amplius non præsumat. Quod si culturas suas longius extendisse cognoscitur, & sibi alios ad excolendos agros fortasse coniunxerit: aut plures filij vel nepotes in loci ipsius habitationem successerint: aut campos quos ei dominus terræ non præstitit occupauerit: aut siluam quæ ei data non fuerat propter excolendos agros, aut conclusos, aut facienda forsitan prata succiderit: quidquid amplius usurpauit quam ei præstitum probatur, amittat: & in domini consistat arbitrio, vtrum canon addatur, an hoc quod domino præstitit, dominus ipse possideat. Quod si tantummodo alicui ager sit datus, & data silua vel campus non fuerit: sine domini iussu nihil de silua vel campo qui agrum cepit, usurpet.

XIII.

*Si inter eum qui dat & accipit terram aut siluam contentio oriatur.*

**S**i inter eum qui accipit terras vel siluas, & qui præstitit, de spatio vnde præstitit,



fuerit orta contentio: tunc si superest ipse qui præstitit, aut si certe mortuus fuerit, eius heredes præbeant sacramenta, quod non amplius auctor eorum dederit, quam ipsi designanter ostendunt. Et si postea quam iurauerint, præsentibus testibus eis quæ obseruatur signa constituent: ut pro ea re nulla deinceps accedat causatio. Si vero consortes eius non dignentur iurare aut forte noluerint: vel aliquam dubietatem habuerint, quantum vel ipsi dederint vel antecessores eorum: ipsos aut animas suas non condemnent, nec sacramentum præstent: sed ad tota aratra, quantum ipsi vel parentes eorum in sua sorte susceperant, per singula aratra quinquagenos aripennes dare debent: ea tamē conditione, ut quantum occupatum habuerint, vel cultum mixtu quinquaginta aripennes concludant, nec plus quā in eisdem mensuratum fuerit aut ostensum, nisi terrarum dominus forte præstitit, audeant vsurpare. Quod vero amplius vsurpauerint, in duplum reddant inuasa.

XV.

*Qui ad colendam terram accepit, sicut ille qui terram dedit, ita & censum exsoluat.*

**Q**ui accolam in terram suam susceperit, & postmodum contingat, ut ille qui susceperat, cuicumque tertiam reddat, sicut & patroni eorum, qualiter vnum quemque contigerit.

XVI.

*Ut si Gothi Romanorum tertia quippiam tulerint, iudice insistente Romanis cuncta reforment.*

**I**udices singularum ciuitatum, villici, atque præpositi, tertias Romanorum ab illis qui occupatas tenent auferant, & Romanis sua exactione sine aliqua dilatione restituant: ut nihil filco debeat deperire. Si tamen eos quinquaginta annorum numerus aut tempus non excluserit.

XVII. FL. CIN. REX.

*De mancipiorum agnitionibus diuidendis, atque eorum peculii partiendis aut decernendis.*

**P**rouidentissimi iustique iuris est, ut formam inueteratæ censuræ, quæ ab æquitatis ratione dissentit, nouellis etiam sanctionibus emendemus. Nec immerito prius nascendi causas expedit arbitrari, & ita demum legē ponere nascituris. Si enim filius ab utroque parente gignitur & creatur, cur idem ad conditionem tantum pertineat genitricis, qui sine patre nullatenus potuit procreari? Hac rationabiliter naturæ lege compellimur agnitionem ancillæ, quæ seruo alieno iuncta peperit, inter utrosque dominos æqualiter diuidendam. Quod si vnus tantum filius ab eisdem parentibus fuerit procreatus: quoniam ambobus dominis modo placito non poterit deseruire: iste filius apud matrem vsque ad ætatis annum duodecimum edoceatur, donec ætas eius in exercendis laboribus ferre seruitium pubertatis incipiat. Post hæc autem dominus ancillæ domino serui, cui hæc ancilla coniuncta est, pretium ex medietate persoluat, quantum isdem filius à bonis hominibus valere fuerit æstimatus. Similis forma seruetur & de cæteris filiis, qui in pari numero fuerint procreati. Peculium vero mobilis rei, quod seruus & ancilla profligauerint sub contubernio constituti, ad utrosque dominos decernimus pertinendum. Sane si in fundum alterius domini, ad cuius ius idem seruus vel ancilla non pertinent, præter ædificium agrumque vel aliquid quod esse possit immobile, à seruis talibus in re mobili fuerit conquistum: non aliter quam agnationem rem huiusmodi æqualiter eorum domini sibi debeant vindicare. Quod si vnus ex his dominis contubernia famulorum conatus fuerit irrumpere, statim eos separare non differat: ea tamen conditione seruata, ut postquam ad dominorum cognitionem contubernia seruorum peruenerint, si eos in hoc dominorum voluntas perseuerare noluerit, infra anni spatium ipsum contubernium resolvere non morentur. Cæterum si hoc rationabile tempus, quod hac lege indultum est, negligentia dominorum excesserit: quidquid post expletum annum fuerit procreatum, utriusque domino æqualiter sexus, numeri vel ætatis contropatione nouerit diuidendum. Quod si super annum tempus excesserit, & hoc vnus dominus vel ambo nescierint: quodcunque nasci potuerit, similiter in diuisionis æquali portione manebit.

XVIII.

quæ vt refelli possit compendio breuitatis vt conuenit. Omnis ergo res quæ mobilis immobilisque consistit, cuiuscunque fuerit generis, siue formæ: an peculii, an peculiaris nomen habuerit, vnius intelligentiæ vim euidentiamque obtineat: vt ex hoc omnis de mobilibus immobilibusque intentio con quiescat.

XIX. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Si pro acceptis rebus promissio non solvatur.*

**S**I quis terram, vineam aut aliquã rem aliam pro decimis, vel quibuslibet commodis, præstationibusq; reddendis, per scripturam aut quamcunq; definitionem, ita ab alio acceperit possidendam: vt ille qui dat sic sub alicuius exsolutionis debito det, ne videatur huius rei suæ vsum amittere voluisse: sed quidquid debet, qui rem accepit etiam sine sollicitudine domini ipse sollicitè reddat. Nam quamuis consuetudo vel promissio exsoluta non fuerit, de rebus suis pars domini excludi non poterit. Quia non voluntate iustius qui dedit, sed fraude illius qui rem accepit, videtur commotio rei domino commoueri. Si vero ille qui rem accepit consuetudinem aut promissionem differat adimplere: quodcunque de promisso vel constituto debet, rei domino in duplum exsoluat. Nam si ita reddere promissum aut consuetum dissimulet debitum, vt dominum rei legum tempus excludat, vsque ad quinquaginta annos rem suam cum augmento solius laboris quod illic fecit amittat.

II. TITVLVS.

DE QVINQVAGENARII ET TRICENARII TEMPORIS TEMPTATIONE.

- I. *Ne post quinquaginta annos sortes Gothicae vel Romanae amplius repetantur.*
- II. *Ne mancipia post quinquaginta annos ad seruitium reuocentur.*
- III. *Vt omnes cause tricennio concludantur.*
- IV. *Vt exceptis fiscalibus seruis tricennale tempus valeat in omnibus causis.*
- V. *De interruptione tricennii.*
- VI. *Ne tricennale tempus impediatur religatis.*

*I. Ne post quinquaginta annos sortes Gothicae vel Romanae amplius repetantur.*



**S**ORTES Gothicae & Romanae, quæ intra quinquaginta annos non fuerint reuocatae, nullomodo repetantur.

II.

*Ne mancipia fugitiua post l. an. ad seruitium reuocentur.*

**M**ANCIPIA fugitiua, quæ intra l. annos inuenta non fuerint, non liceat ad seruitium reuocare.

III.

*Vt omnes cause tricennio concludantur.*

**O**MNES causas, siue bonas, siue malas, aut etiam criminales, quæ intra xxx. annos definitæ non fuerint, vel mancipia quæ in contentione posita fuerint, aut sunt, ab alio tamen possessa, si definita atque exacta non fuerint, nullo modo repetantur. Si quis autem post hunc xxx. annorum numerum causam mouere tentauerit, iste numerus ei resistat, & libram auri † cui Rex iusserit coactus exsoluat.

XIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

*Vt exceptis fiscalibus seruis tricennale tempus valeat in omnibus causis.*

**S**ÆPE contemptis in debita re solutio iuris euanescere facit statutum tempus iustæ possessionis & quod nulla generis nobilitas decorauit, indebita licentiã libertate contradicit. Tricennalis ergo transcursio temporum cum iam sic constanter inoleuerit in negotiis actionum, vt non iam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum processisse natura videatur: ideo valitura sanctionis huius æternitate decernitur, vt si per tricennii tempus, seu fiscus de † quorumlibet iure quodcumque tenuerit, seu quislibet de fiscali extra mancipia fiscalia aut cuiuspiã rebus aliquid fortasse posside-